DECISIONES CANONICÆ

De Qualitate Ordinandorum
ex Libro I. Decretalium Gregorii IX.
Titulo XI.

DESUMPTÆ,

atq;
in Collegio Juridico Universitatis Crac:
Per
M. JOANNEM CANTIUM TORYANI
S. Th. Doctorem, U. J. Doctorianum Professorem, Collegam Juridicum, Judiciorum Consistorii Generalis Cracoviensis Assessorem, ejusdemq; Cancellariæ Regentem, Ordinandorum & Approbandorum Examinatorem,

Objectîs Satisfaciente
M. SEBASTIANO, JOAN: CANT: CZOCHRON
Philosophiæ Doctore, Matheseos Professore, Scholæ Parochialis S. Spiritûs Seniore,
publicè ad disputandum
per Casus Juridicos

PROPOSITÆ

Annô Domini 1775. Die 21. Mensis Februarii

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS

AD

ILLUSTRISSIMUM

&

REVERENDISSIMUM DOMINUM

D. JOSEPHUM, NEPOMUCENUM

De Niegolewo

NIEGOLEWSKI,

Divina Vocatione Regii Monasterii Calvo-Montani Sanctæ Crucis, Inclytæ Congregationis Benedictino-Polonæ ABBATEM, Dominum Mecænatem Amplissimum.

ILLUSTRISSIME MECÆNAS.

Etsi nunquam in mentem venit dubitare quo Nomine primam Dissertationis, quam proponere cogitabam, frontem, quam maximè splendidam efficere deberem, subdubitabam tamen, quid potissimum de Jure deligerem, quod tanta luce dignum esset. Novi siquidem nihil magis TIBI arridere, quàm quod publicum sapiat commodum; eumq; semper sen-

ſum fuiſſe, & hactenus eſſe, quod etiam Ipſe TIBI pridem diſplicuiſſes, ni Patriæ & Eccleſiæ, in omnibus utilis & commodus fores. Scilicet: (ut generaliter de TE loquar) maximam hanc virtutem à TUIS Prædeceſſoribus jure hæreditario in TE devolutam eſſe, extra dubium eſt; ex quo conſequitur, quod cùm in aliis Bono communi proficuum eſſe, ars & induſtria vocatur, in TE quodammodo neceſſitas & connaturale videatur. Hæc illa ſunt, quæ TE mihi ſemper ſpectatiſſimum reddunt, hæc quæ me impellunt, ut præſentem de Qualitate Ordinandorum ad habendum in ſeligendis Eccleſiæ Miniſtris delectum, utilem (ùt in Domino confido) Diſſertationem inſcribam. Ad cujus profectò rei amplitudinem præ Oratorum laudibus purum Hiſtoricorum teſtimonium & fides ſatis abundè facere videntur, qui præclaram

Fami-

Familiæ TUÆ *seriem, longa Senatorum, Magistratuum, Officiorum Regni, Virorum sagô & togâ, virtute eximiisq; dotibûs, non minùs quàm Generis Nobilitate præstantium enumeratione pertexunt. Prima siquidem Majori in Polonia* Grzymalitarum NIEGOLEWSCIORUM *Gente natus, quæ videlicet propriis* TUIS *decoribus illud addidit, ut magis in* TE *suspicerentur, atq; evidentiùs præclaræ* TUÆ *dotes paterent. Quas quidem mihi nihil opus est hùc adducere, vel ad Nobilissimæ splendorem Prosapiæ, vel ad* TE *ipsum ornandum, cum* TIBI *à* TE *ipsô satis gloriæ, satis decoris sit. Neq; verò etiam carissimi Parentis* TUI JOANNIS Grzymalitæ NIEGOLEWSKI, *Thesaurarii primùm, dein Venatoris Calissiensis, nunc Posnaniensis Pincernæ merita, Matrisq;* SOPHIÆ *de Skrzypno è* TWARDOWSCIIS, VENCE-

SLAI

SLAI in Iankowice, Lusowek, Czeradź, Kumienk, ac aliis Bonis Hæredis Filiæ, Fæminæ præstantissimæ, aut Genus, a Qua Celsissimi ANTONII Principis JABŁONOWSKI Palatini Posnaniensis, Illustrissimæ OTOLIÆ de SKAŁAWSCIIS WILKONSKA Castellanæ Crzywinensis, JOSEPHI Wyssogota ZAKRZEWSKI Pocillatoris Vschovensis, Iastrzębiec SWIĘCICKI Maternus diffluxit Sanguis, aut dotes, aut virtutes persequar, tum ne horum nedum laudibus, sed reminiscentiâ ipsâ nimis longè provehar, tum ne rem in recenti omnium memoria positam narrare, laudisq; genus à TUIS magis mutuari, quàm à TE ipso repetere videar. Iisdem de causis officiosô silentiô prætáeribo Illustrissimum IGNATIUM TWARDOWSKI Calissiensium Palatinum, Avunculum TUUM, Virum probitate, sapientiâ, & authe-

authoritate in Republica Polona clarum, in primisq; popularem. Ad propria TUA *ornamenta festinando vel invitus, debitâ tamen cum reverentia, omittam Patruum* TUUM *dignissimum* ANDREAM NIEGOLEWSKI *Vexilliferum & Iudicem Surrogatum Posnaniensem, unà & Capitaneum Pobiedziscensem, cum* ANNA *de* SKAŁAWSCIIS, *Consorte sua lectissima,* MECHTILDEM *Patris* TUI *Germanam, cum* GABRIELE *de Łagowiec* SZCZANIECKI, *Viro Orbi Polono ex meritis noto,* MICHAELEM *Vexilliferum Vschovensem, Avum* TUUM, *cum* CHRISTINA ANDREÆ CZACKI *Tribuni Calissiensis, de* HEDVIGE MODLIBOWSKA *procreata Filia, neq; ponam ob oculos* MATTHIAM *Vexilliferum itidem Vschovensem, Proavum* TUUM, *qui primis nuptiis de* URSULA ZEGOCKA *Capitanei Costensis Filia*

lia, secundis de ANNA DZIERZBINSKA *Iudicis Terræ Vschovensis Filia,* CASIMIRUM *Filium, Pobiedziscensem Capitaneum,* SOPHIAM *Sacræ Divinissimi* BENEDICTI *Familiæ Sociam;* ANNAM *verò* ADAMO MYCIELSKI *Dapifero Posnaniensi,* CONSTANTIAM ANTONIO SZOŁDRSKI, LUDOVICAM *demum* MICHAELI DZIAŁYNSKI *Bydgostiensi Castellano Conjuges procreavit. Nihil proferam de* ANDREA *Pobiedziscensi Capitaneo, Abavo* TUO, *nam Ejus in* DEUM *munificentiam Ecclesiæ Posnaniensis, & Bucensis loquuntur. Mittam Germanos* TUOS, *Illustrissimum & Reverendissimum Dominum* BERNARDUM, *Sacri Cisterciensis Ordinis Andreoviensem* ABBATEM, *Virum de Ecclesia* DEI *bene meritum, Literarum, Literatorumq; Amatorem, singularem*

meum

meum Patronum: MICHAELEM *&* FRANCISCUM, MAGDALENAM, *cum suo carissimo Conjuge* SKAŁAWSCIO *jam prídem coronâ vitæ in Cælis redimitam,* JULIANNAM *Virginem, omni virtutum genere ornatissimam, Sorores; aliosq́ bene multos mittam, cùm Genere, tum alia quavis necessitudine Tecum junctos, memoratu dignissimos, consiliô, viribûs inconcussis, gladiô, in Majestatem obsequiô promptissimos, in Cives amabiles, & munificos, in hostes Patriæ vultu minaces, oculis fulmineos, studia & conatus in Reipublicæ usum, ac commodum impendentes, qui pridem vitam & sangvinem, Regum, Civiumq́ obsequiis perpetuô Sacramentô addixere, qui, inquam, bellica ad negotia, velut ad bellaria alacrem dexteram exporrigebant, ferale Martis classicum, acsi votivum celeusma læta aure excipse-*

cipiebant, inter præliorum procellas, velut adamantinæ medio æquore stetere rupes, nulli vento, nulli turbini cedentes. Eorum alto in sangvine Gnesnensem & Leopoliensem Archi-Episcopos, quatuor Episcopos, Calissienses bis duos, Brestenses Cujavienses trinos, Junovladislaviensem, Podoliæ, Plocensem Palatinos, Posnanienses tres, Gnesnenses duos, Cujavienses tres, Culmensem cum Gedanensi unum numeras Castellanos. Illud unum perlibenter repetam, TE cum primis a Familia TUA & ingens ad terendam jam virtutis, jam laudis viam, incitamentum, & in ea ad gloriosè tenenda Domesticorum exempla, lucem ac copiam, & per eam perveniendi ad summa, vires & adjumenta sumpsisse, & maximum Illi à TE accessisse decus. Quorum unum utì cum Majoribus TUIS commune TIBI est, ita alterum, quod

sequi-

sequitur, TIBI *proprium. Gesserunt Aborigenes* TUI *omnes honorum titulos, belli & pacis gessere officia, propugnaverunt Religionem & Libertatem,* TU *sparsas per singulos virtutes, divisaq; collegisti decora, ac novam de proprio indies accumulas lucem. Idem in* TE *est, quem in* TE *colo, aspectus, eadem in fronte cernitur gravitas, in oculis amænitas, in ore spectatur affabilitas, idem index modestiæ rubri genas pingit, idem testis justitiæ sermo. Nihil perinde mirum,* ABBAS ILLUSTRISSIME, *quod in* TE *ingenii vastitas reperiatur, magna Divinarum, humanarumq; rerum notitia, magna, difficillimarum rerum intelligentia, atq; perspicacia, magna antiquorum viciniorum, nostrorumq; temporum, Regnorum, Rerumpublicarum, politici notitia, magna inde lux prudentiæ, soliditas*

consi-

nitati, maturitas judicii, ita; ut pares TIBI *invenire, aut similes, perquàm difficile. Quem enim latere potest,* TE *à primis vitæ incunabulis, optimas disciplinas, quas in Posnaniensi Academia, me ibidem, (si gloriari licet, utì quidem tantô Discipulô gloriari expedit,) humaniorum Artium Magistrum agente, didicisti, eousq; in deliciis habere, ut in omni fortunæ gradu illis magis semper, quàm* TIBI *vixisse videaris. Majori indies animum* TUUM *exornans sapientiâ, nullis laboribus, nullis impensis parcis. Nihil in vita, nisi præclarum, laudandumve agis, scribis, moliris, sentis, dicisq;. Isthinc provenit, quòd Literatos vehementer ames, libentissimè excipias, eosq; fovendos esse & palàm dictites, & opibûs* TUIS *impensè complectaris. Hinc quoq; est, ut docti omnes, eruditiq;* TE *in deliciis habeant, certatim lau-*

dibûs

dibûs extollant, suisq; scriptis Nomen TUUM *inserere gestiant. In* TE ABBAS ILLUSTRISSIME, *Patriæ charitas, Religionis claritas, Ecclesiæ zelus luculentissimè elucet. In* TE *veneror animum* TUUM *ad gravissima quæq; pericula sustinenda fortem, ad consilia prudentem, ad casum, fortunamq; felicem, ad hominum innocentûm defensionem constantem & expeditum. Quod nimirum tam arduum, tamq; periculosum est negotium, quod* TU *non libenter suscipias, aut non consiliô regas, aut non integritate temperes, aut non authoritate perficias & confirmes? Non* TU *Dignitatem* TUAM *cum voluptate conjungis, sed in labore corporis atq; animi præclara contentione conficis, non manus* TUAS *turpis largitio tenet, sed pia liberalitas exercet; non mentem quies à labore, non ingenium remissio à laudis exercitio avocat, non*

candor

candor ab oculis, non castimonia deniq; à toto corpore abest Libravit æqua lance hanc TUARUM *dotum mensuram primum regnante* Boleslao Chrabri *in Regno Poloniæ Calvo-Montanum Ordinis S.* BENEDICTI *A. D.* 1005. *erectum, Sanctæ Crucis Monasterium, perspexere ad magna natum animum inclyti illius Cænobii Patres, observaverunt virtutes & merita supradicti Conventûs Confratres, atq;* TE *suum Abbatem, Loci percelebris martyrio sangvine* 88. *Religiosorum cum suo Abbate* Stanislao, *à Tartaris, Regnante* Boleslao Pudico *pro Fide Catholica tincti, Viris* Nicolao Koźmiński, *magnæ opinionis* 13. *annorum Priore, A. D.* 1490. *secundo sub lapide ante Sacristiæ gradus sepultó,* Stanislao *de Bogusławice* Sierakowski *Stemmatis* Ogończyk, *magnanimo sanctitate, imò, & miraculis claro Abbate, post annum Christi*

1600.

1600. *mortuo, ac (quod summa Loci Calvo-Montani laus est) illa grandi portione Crucis* CHRISTI *Domini, quam Constantinopolitanus Imperator,* Stephano *Regi Hungariæ, Patri S.* Emerici, *Cognati autem Boleslai Regis, pientissimi hujus Cœnobii Fundatoris miserat, & S.* Emericus *Loco illi largitus est, insigniti Prælatum perlibenter esse voluerunt, gubernandasq; Monasterii habenas,* TIBI, *utpotè Viro dexteritate, prudentia, liberalitate, humanitate, bonitate, moribûsq; laudatissimo commiserunt. Sed quid ego hæc persequar? quasi verò aut omnia enumerari, aut recensita pro dignitate tractari, celebrariq; posse existimem. Imò verò: cum nihil certius sit, quàm ea, quæ maximè laudabilia sunt, in summis quibusq; Viris satis laudari non posse, pauca hæc vel sic commemorare volui, ut quæ modò dicantur, satis ad gloriam sint. Ex quibus tamen*

tamen

men inferre pronum est omnibus, qui-bûs dotibûs ABBAS ILLUSTRISSI-ME *ornatus sis utq́ plura non recenserentur, ingens laudum* TUARUM *copia fecit. Superest, ut* DEUS O-*ptimus Maximus, prosperam, faustamq́* TUI *incolumitatem reddat, faciat amœnam, jucundamq́ senectutem, vigorem animi corporisq́ adaugeat, dies deniq́ serenos & auspicatissimos* TIBI *largiatur.*

Ita voveo

ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI
DOMINI, MECÆNATIS AMPLISSIMI.

Servus obsequentissimus.

Author Opellæ.

DECISIONES
CANONICÆ
DE
Qualitate Ordinandorum

EX vi Doctorianæ in Collegio Juridico Universitatis Cracoviensis Professionis cùm mihi incumbat munus examinandi Clericos tam Sæculares, quàm Regulares ad quosvis Ordines promovendos, (*) hinc necessitati Ordi-

(*) *Lucas Doctorius Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Præpositus Osviecimensis fundavit Professionem Juris Casuum Conscientiæ ex Decreto & Decretalibus tradendorum A. D. 1636. Cujus Professionis Lector tenetur Examini Ordinandorum adesse, juxta Ordinationem per Reverendissimum Capitulum Cathedrale Cracoviense Annò quò supra; die Veneris 4ta Aprilis subsecutam.*

nandorum succurrendo; doctrinam de qualitate Ordinandorum breviter exponendam suscepi. Si enim (pensabam intra me ipsum) turpe est patritio Viro jus suum ignorare (*) certè: turpiùs est Clerico nescire ea, quæ ex professo scire, ex officio practicare tenetur, ne circa ministerium Altaris existens, quomodo & qualiter ad illud evectus, quæ muneris illius sint, quæ in eo scientia requiratur, horum ignarus habeatur. Ne itaq; ad ministerium Altaris electi illotîs (ut ajunt) manibûs ad Divina Mysteria accedant, nempe: ne accedant cum illa ignorantia, quâ omnino carere debent, operæ pretium duxi nonnulla scitu digna de qualitate Ordinandorum ex professo instillare. Materiam præsentis doctrinæ Ordinandis exinde necessariam esse censerem, quod eam illis eruditionem adferat, quæ vel maximè in examine publico tendentibus ad quemcunq; sive minorem sive majorem Ordinem obvia est. Hac itaq; in materia sit.

§ I.

(*) *gl. in ff. De orig. Jur. verb. Necessarium.*

§ I.

Qualitas Ordinandorum quò ad ætatem

I. Ætas Ordinandorum non à tempore conceptionis, ſed ab hora nativitatis computatur. (*a*) Ætas verò nihil aliud eſt, quàm quædam temporis menſura, à nativitate usq; ad obitum recurrens, indeq; non in utero matris incipit, ſed in partu initium recipit. Nec attenditur à die Baptiſmi (*b*)

II. Prima Tonſura non poteſt conferri infanti, ſed ad illam ſuſcipiendam annus ſeptimus completus requiritur. (*c*) Ad tres priores minores Ordines, juxta antiquos Canones, nemo ante duodecimum, neq; ad Acolithatum ante decimunm quartum ætatis annum, (*d*) ad Subdiaconatũ verò nullus ante vigeſimum, (*e*) ad Diaconatum ante vigeſimum quintum, ad Presbyteratum ante annum ætatis trigeſimum completum promoveri poterat. (*f*)

(a) *Bald. lib.* 5. *cons.* 19. *à nro* 3. (b) *Congr. Conc. ap. Fagnan. ád c. In cunctis. De elect. nro* 135. (c) *c. ult. h. t. in* 6. (d) *Can. In ſingulis. Diſt.* 77. (e) *Can. Quicunq; d. Diſt.* 77. (f) *Can. Plácuit & Can. Epiſcopus. cit. Diſt.* 77.

Successu temporis jure statutum fuit, ut possit quis (aliò Canonicô impedimentô non obstante) liberè in decimo octavo ætatis anno ad Subdiaconatum, in vigesimo ad Diaconatum, in vigesimo quinto ad Presbyteratum promoveri. (*g*) Ex ultima tandem Juris Canonici dispositione nullus in posterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveri debet; (*h*) quod etiam extenditur ad Regulares, quorum privilegiis hac in parte derogatur. Sufficit verò hos annos, ad suscipiendos Sacros Ordines prærequisitos esse inchoatos, conformiter Juri antiquo, quô annus inchoatus tantùm requirebatur; adeo ut sufficiat, si hic annus fuerit inchoatus per unum diem, (*i*) imò si per dimidium quadrantem inchoetur, (*k*) quia tunc quoq; pro-

(g) *Clem. Generalem. De ætat. & qualit. & ord. præficiend.* (h) *Conc. Trid. Sess.* 23. *De Reform. cap.* 12. (i) *Sanchez lib.* 7. *Moral. cap.* 1. *dub.* 33. *Koning. De Sacram. disp.* 20. *nro.* 102. (k) *Leander ap. Dianam par.* 9. *tract.* 9. *resol.* 50.

propriè dicetur, quod quis nòn ſit ordinatus ante annum præſcriptum. (*l*) Ad Epiſcopatum verò (quod in hoc Ordine ſpeciale eſt,) requiritur annus ætatis trigeſimus completus. (*m*)

III. Quod verò ad minores Ordines attinet; pro his jure novo nulla certa ætas eſt præſcripta, nihilq; quò ad illos eſt innovatum, ac proinde requiritur nunc in iis ea ætas, quam Jus antiqum ſtatuit, (*n*) ut ſupra dictum. In hac verò ætate Epiſcopi jure ordinario diſpenſare non poſsunt, ideoq; pro diſpenſatione Summus Pontifex adeundus eſt, (*o*) quia Epiſcopi non poſsunt ordinariè relaxare Jus Canonicum, vel Jus Concilii Generalis; poſsunt tamen diſpenſare authoritate delegata, ſi id ſibi permiſsum à Summo Pontifice habuerint; prout facultatem diſpenſandi ſuper integro anno ad Presbyteratum, & non ampliùs, habent.

IV. Epiſcopus ordinans aliquem ante

(l) *Garzias De Benefic. par. 7. cap. 1. nro. 11.* (m) *c. Cùn in cunctis- De elect.* (n) *Congr. Conc. ap. Piaſecki in prax. Epiſc. par. 1. cap. 1. artic. 4. nro. 1.* (o) *gl. in cit. Clem. Generalem.*

ante legitimam ætatem, à collatione Ordinum ſuſpendendus eſt, taliter verò ordinatus jure antiquo etiam erat ſuſpendendus ab Ordinum ſic ſuſceptorum executione, donec ætatem debitam conſequeretur. (*p*) Jam autem recentiori jure ſic Ordinatus eſt ſuſpenſus ipſô factô, & ſi ante legitimam ætatem, durante ſuſpenſione, antequam ab ea abſolutus ſit, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare præſumpſerit, eô ipſô irregularitatem incurrit, ac ultra alias pænas, Beneficiîs Eccleſiaſticîs privari poteſt. (*q*] Porro: quamvis hoc Jus novum de Clericis tantùm Sæcularibus loqui videatur, ejus tamen diſpoſitio habet etiam locum in Regularibus, (*r*) quia in materia, quæ æqualiter reſpicit Sæculares ac Regulares, (qualis eſt circa Ordines ſuſcipiendos] nomine Clericorum comprehenduntur quoq; Religioſi. Hoc Jus novum extenditur etiam, ut ſic Ordinatus non ſolùm ſit ſuſpenſus ab Ordinum ſuſceptorum executione uſq; ad le-

(p) *c. Vel non eſt. h. t.* (q) *Conſtit. Pii II. quæ incipit - Cùm ex Sacrorum -* (r) *Koning h. t. ex Conſtit. Sixti V.*

ad legitimam ætatem, qua adveniente cessat impedimentum, sed est suspensus perpetuò, donec absolutionis beneficium consequatur, nam cùm suspensio hæc sit in jure simpliciter & absolutè lata, non debet sine textu juris restringi ad certum tempus, & Canones, dum volunt temporalem tantùm suspensionem infligere, id solent exprimere. (*s*)

V. Aliqui volunt, quòd Ordinatus Sacerdos ante legitimam ætatem, si in ipsa Ordinatione cum Episcopo celebret, (ùt fit sub tempus Ordinationis Presbyterorum) incurrat suspensionem simul & irregularitatem, antequam solus celebret; suspensionem quidem ex eo, quod ante legitimam ætatem fuerit ordinatus; irregularitatem, quod in sic suscepto Ordine ministraverit.[*t*] Contrarium tamen probabilius est, quia Canones, qui ferunt irregularitatem in Clericum ministrantem in Ordine, à quo suspensus est, loquuntur & intelligi debent de suspensione priùs contracta, & de usu Ordi-

(s) *Navarr. cons.* 30. *in fin. & cons.* 35. *nro,* 1. *De temp. Ordin.* (t) *Navarr. Lopez h. t.*

Ordinum suspensionem consequente; ut si quis ministret in actu distincto ab Ordinatione sua, nova voluntate assumpto post priorem Ordinationem, & moraliter separabili ab Ordinum susceptione. Illa verò simultanea celebratio, quæ sub tempus Ordinationis fit cum Episcopo Ordinante, non est ministerium, seu exercitium nova voluntate susceptum, nec moraliter separabile ab ipsa ordinatione, cùm juxta Ecclesiæ usum illa cærimonia sit inseparabiliter conjuncta cum ipsa Ordinatione; hinc in hac materia pœnali & odiosa benignior interpretatio fieri debet, maximè: cùm secundùm praxim & stylum Cancellariæ Apostolicæ tales non reputentur irregulares (u)

VI. Etsi censura suspensionis per absolutionem ab Episcopo, vel Confessario privilegiato datam, ablata sit, debet nihilominus Ordinatus ante legitimam ætatem abstinere ab Ordinis suscepti executione, donec ad ætatem legitimam pervenerit; cùm ipse nonnisi Summus Pontifex in æ-

tate

(u) *Suarez disp. 21. De Censur. Sect. 1. n°71.*

tate ad Ordines requisita dispensare possit; quamvis, si absolutus ante requisitam ætatem in Ordine ministret, irregularis non fiat, & completa ætate mox sine alia dispensatione in Ordine suscepto ministrare possit. (w)

VII. Qui ad minores solùm Ordines ante legitimam ætatem promotus est, vel etiam ad majores ob simplicitatem, aut ignorantiam inculpabilem, ignorando nempe jus speciale, talibus suspensionem imponens; non incurrit suspensionem propriè dictam, neq; irregularitatem, etiamsi in dictis Ordinibus ministret; ùt: si quis testimonio suorum Parentum innixus, fide bona, nondum habens legitimam ætatem, ordinatus fuerit, ac proinde: post acquisitam legitimam ætatem exercere potest Ordines susceptos non petita dispensatione, vel absolutione, [x) quia talis non fuit propriè suspensus, nam suspensio non incurritur, nisi ob culpam gravem, quæ non invenitur in sic ordinato; ac Jure novo

(w) *Layman lib. 5. Theol. Moral. tract. 9. cap. 10. nro 3.* (x) *Barbos. alleg. 16. nro 17. & seq. ac in d. c. Vel non est. nro 8.*

vo punitur temeritas, & præſumptio, quæ non poteſt conſiſtere cum ignorantia inculpabili, & bona fide. (y)

Caſus.

VIII. Adrianus duodecim annorum puer ordinatus fuit in Presbyterum, quia tamen eum Ordinem ſuſceperat ante præſcriptam à jure ætatem, (prout præmatura ejuſmodi Ordinatio veteri uſu & diſciplina invaluit apud Cophtos, (z)) hinc poſtea advenientibûs majoribûs ſuæ ætatis annîs prætendebat ſe invalidè ordinatum fuiſſe, ac cùm ad legitimam ætatem pervenerit, ad ſervandam continentiam majoribus Ordinibus junctam non teneri.

Reſolutio.

IX. Dubium hoc controverſum eſt. Negativa Doctorum pars, docens ejus

(y) *gl. hic verb. Injuriam.* (z) *P. Th. à Jeſu. De converſione Gentium. lib. 7. pag. 361. Carolus Franciſcus à Breno in Manual. Miſſion. Oriental. tom. 1. lib. 3. cap. 2. nro 5. P. Berna Miſſion. in Literis datis Annô 1706. ad P. Solerium Bollandiſtam.*

ejusmodi puerum incapacem esse Ordinis suscipiendi, adeoq; advenientibûs legitimæ ætatis annis posse statum mutare; eam suæ sententiæ rationem affert; quia non decet, ut alicui Sacramentum conferatur, nisi ipse, vel alius nomine ipsius acceptet; puer verò duodecim annorum necdum rectum rationis usum habendo, per se acceptare sacrum Ordinem non potest; alium quoq; non decet nomine ejus acceptare, cùm hoc Sacramentum non sit necessitatis, sed voluntatis, & suscipientem gravibûs obligationibûs arctet. (*a*) Addunt: quòd nimis ridiculum videretur, ejusmodi puerum credere esse presbyterum. (*b*)

X. Sed pars affirmativa, ùt communior, ita authoritate & ratione firmior est; quia eô ipsô, quòd Ordinandus non resistat Ordinationi positivè, aut interpretativè, capax est recipiendæ potestatis, quæ per Ordinationem conceditur; sicut capax est effectûs Baptismi, Confirmationis, & SS. Eucharistiæ. Quippe: materia & forma

(a) *Durandus in 4tum. dist.* 25. *qu.* 1. *nro* 8. (b) *Sotus lect.* 5. *De Ordin.*

forma horum Sacramentorum non de pendet ex suscipientium actibus, sicut dependent Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii; neq; ad horum validam susceptionem opus est Parentum consensu, vel eorum, quorum curæ Ordinandus est demandatus, quia satis est Ecclesiæ consensus, vel potiùs Christi Domini voluntas, qui ita Sacramentum Ordinis instituit, ut cuicunq; non repugnanti applicaretur; effectum haberet. (c)

XI. Roboratur hæc sententia contrariorum rationum solutione; nam: licèt sit indecentia, ut Ordo conferatur infanti, ac licètsi ipse Heraclitus rideret, si puerum videret Sacerdotem, inde tamen non sequitur incapacitas.

XII. Porro: pro varietate suppositionum, quæ fieri possunt, decidendum est præsens dubium. Aut enim puer ille ordinatus erat cum usu rationis, aut sine usu. Si cum usu rationis, jam consensit ordinationi, sed

(c) *S. Th. Aqu. in supplem. qu. 39. art. 2. Bened. XIV. in Bulla, quæ incipit = Eo quamvis = §. 25. Romæ die 4. Maji. 1745. edita.*

sed quia ante decimum quartum æstatis annum completum nemo potest votum solemne castitatis dirimens matrimonium emittere, (d) sequitur, quòd nisi decimò quartô annô ætatis completô, tacitè, nimirùm privilegiîs Ordinis fruendo, vel expressè consentiat in Ordinem, non obligatur ad continentiam, & potest Matrimonium contrahere. Si verò ante usum rationis fuit ordinatus, & usq; ad decimum quartum ætatis annum non consensit ordinationi suæ, nec illam tacitè ratificavit, non tenetur ad continentiam; multò minùs ad eandem tenetur, si factus doli capax contradixit, & in decimo quarto ætatis anno repugnavit. (e)

XIII. Majus dubium insurgit, an infans possit validè consecrari in Episcopum? in quo minùs conveniunt Authores, quorum nonnulli affirmant, ex eo; quòd nulla sit specialis ratio in Episcopatûs collatione, quæ in collatione aliorum Ordinum non procedat, nam sicut potestas ad consecrandum

(d) *Fagnan. lib. 5. Decretal. tit. De Cleric. per saltum promot.* (e) *Gobat. De Sacram. Ordin: tract. 8. nro 762. Escobar, Koning. Bonacina h.t.*

crandum Corpus Christi Domini, absolvendumq; à peccatis puero ante usum rationis communicari potest, sic poterit communicari potestas ordinandi, confirmandi, ac alia munia Episcopalia obeundi. (*f*) Negant probabiliùs alii, tum: quia jurisdictio & potestas nemini communicari potest, nisi ipse, cui committitur, consentiat; in Consecratione verò Episcopi conceditur Episcopo potestas & jurisdictio in Diæcesim, hinc ejus consensus requiritur, quem infans usu rationis carens præbere non potest, (*g*) tum: quia per Consecrationem Episcopus contrahit spirituale Matrimonium cum ea Ecclesia, in cujus Pastorem ordinatur, matrimonium autem postulat consensum contrahentis, qui in infante usum rationis non habente esse non potest. (*h*)

§ II.

Qualitas Ordinandorum quò ad scientiam.

I. Alia scientia hic requiritur jure

(f) *Dominic. Sotus in 4tum. dist.* 23. *qu.* 1. *art.* 2. *conclus.* 2. *Filliucius tract.* 9. *cap.* 4. *qu.* 2. *nro* 76. *Vasquez. Palaus. Dicastillo h. t.* (g) *c. A nobis. De desponsat. impuber.* (h) *S. Th. in 4tum. dist.* 25. *qu.* 1. *art.* 1. *S. Bonav. art.* 2. *qu.* 2.

re naturali, alia Jure Ecclesiastico. Jure enim naturali requiritur omnis illa & sola, quæ necessaria est obeundis officiis annexis Ordini, quem quis vult suscipere, nam & generatim: singuli tenentur ea scire, quæ ad eorum statum, vel officium spectant, & speciatim: sicut namq; jure naturæ judiciaria potestas hoc exigit, ut quod quis debet judicare, discernat, ita in omnibus Clericis ignorantibus ea, ad quæ obeunda accipiunt characterem, imperitia adnumeratur culpæ. [i)

II. Jure verò Ecclesiastico prohibentur ordinari illiterati, (k] nam: si propter scientiæ defectum repellitur quis à dignitate, (l) multò magis literìs carens sacris non potest esse aptus officiis. Quod tamen intelligendum est de prorsus illiterato, secundùm subjectam materiam, qualis est, qui nec prima grammaticæ rudimenta, adeoq; nec scribere, nec legere novit; equidem: sicut scientia est mater virtutum, ita ignorantia est mater errorum, maximeq; in Sacerdotibus Dei

vitan-

(i) *l.* 132. *ff.* *De R. J.* (k) *Can.* *Illiteratos*, *Dist.* 36. (l) *c. Qualiter. De elect.*

vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. (*m*)

III. Ad primam Tonsuram suscipiendam requiritur: ut Tonsurandus sciat Fidei Catholicæ rudimenta, sciatq; legere, ac scribere; (*n*) sufficit tamen, si lingvâ nativâ sciat scribere & legere, nec opus est, ut omninò lingvâ latinâ, cùm enim Jus novum non exprimat qualitatem lingvæ, videtur intellexisse vernaculam, seu: vulgarem. (*o*) Ad minores Ordines promovendi saltem intelligere debent lingvam latinam, (*p*) ùt: v.g. sufficit pro Ostiario & Lectore, si sciat legere & scribere latinè, pro Exorcista, si sciat conjugare verba, & declinare nomina; pro Acolytho, si sciat aliquam sententiam brevem, & facilem ex lingva latina in patrium sermonem vertere. (*q*)

IV. In Subdiaconando & Diaconando

(m) *Can. Ignorantia. Dist.* 38. (n) *Conc. Trid. Sess.* 23. *De reform. cap.* 4. (o) *Azor part.* 2. *Instit. moral. lib.* 6. *cap.* 6. *qu.* 2. *Barbos. De offic. & potest. Episc. alleg.* 10. *nro* 5. (p) *Conc. Trid. d. Sess.* 23. *De Reform. cap.* 11. (q) *Gobat loc. cit.*

nando præter lingvam latinam, requiritur, ut Ordinandus instructus sit iis, quæ ad ejus officium ritè peragendum necessaria sunt. (r) Censebitur autem ritè instructus esse, si voluntatem habeat legendi Rubricas Breviarii & Missalis; ex illis enim facilè discere poterit, qualiter Officium Canonicum, qualiterq; munus suscepti Ordinis debeat peragere. Quapropter etsi ante susceptum Subdiaconatum nesciat ritum & modum recitandi Horas Canonicas, non idcirco tamen ineptus est ad Ordinis susceptionem. (s)

V. Pro Presbyteratûs demùm Ordine exigitur, ut ultra supradicta Ordinandus instructus sit illâ scientiâ, per quam idoneus sit ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, aptusq; sit ad administranda Sacramenta. (t) Hinc ad Sacerdotium requiritur, ut bene legat contenta in Missa, ac ea intelligat, utq; habeat mediocrem scientiam, quatenus possit ritè servare ea,

(r) *Conc. Trid. ubi supra.* (s) *Vasquez. Köning. & Palaus h. t.* (t) *Conc. Trid. d. Sess. 23 De Reform. cap. 14.*

quæ ſpectant ad Miſsam conficiendam; ac ut ſciat defectus in Miſſa occurrentes, materiam & formam Conſecrationis, diſpoſitionemq; animæ & corporis. (u) In dubio autem, an ordinandus habeat ſufficientem ſcientiam, Epiſcopi arbitrio determinandum relinquitur (w)

VI. Minor ſcientia linguæ latinæ requiritur in Religioſo, quàm in Sæculari Clerico, quia ratione vitæ communis, quam Religioſus profitetur, eum defectum ſupplet tum puritate, tum prudentiâ ibidem acquiſitâ, tum aliorum doctrinâ, monitîs, & correctione, quæ in Sæculari Clerico non procedunt. (x) Hinc nonnulli dicunt, Religioſum aliqualiter ſolùm latinam linguam debere intelligere. (y) Alii credunt, Religioſo ad id, ut omnibûs Ordinibûs etiam Presbyteratûs ordinetur, ſufficere, ſi Sacramenta illorumq; materias & formas intelligat,

(u) *Sanchez lib. 7. Conſil. Moral. cap. 1. dub. 45.* (w) *Declaratio Conc. ap. Galemart die 31. Maji. 1597.* (x) *Abbas. Innocent. Geminian. h. t.* (y) *Palaus De Sacram. Ordin. diſp. 7. nro 4.*

gat, ac rectè legere sciat, tametsi linguam latinam parum calleat. (z) Unde illud: Sufficit Monacho, si tantum bonus sit, licèt sit illiteratus. (a) Porro: quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non requiritur in illis alia scientia, quàm: ut Mysterium Sacramenti intelligant, si verò applicentur aliis functionibus, concernentibus curam animarum, ut est: concionari, audire confessiones Fidelium &c. indigent nova approbatione, ac proinde ii solùm applicari debent, qui sunt idonei. (b)

VII. Episcopus, Abbas, aut alius quispiam habens facultatem, si illiterato primam tonsuram confert, per unum annum integrum & continuum à collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat, ipso jure est suspensus, ut in eo, in quo peccavit, puniatur. (c) Quæ tamen pœna suspensionis à

(z) *c. ult. h. t. in 6. Henriquez, Rodriquez. Villabos. h. t.* (a) *gl. in Can. Legi. 16. qu. 1.* (b) *Sotus in 4tum. dist. 25. art. ult.* (c) *d. c. ult. h. t. in 6. gl. ibid. verb. Annum. & verb. Suspensum.*

collatione primæ Tonſuræ ipſo jure per annum à Canone definita propter identitatem rationis, ut potè lex pænalis, non eſt extendenda ad eos, qui Ordines ulteriores conferunt illiterato, quia ſpecialiter prohibitum fuit, ne prima Tonſura conferatur perſonis inhabilibus; cùm ea ſit velut janua ad ſtatum Clericalem, ad quem Laici transferuntur; & ideo in hac aſſumptione Laicorum ad Clericatum voluit Summus Pontifex ſpecialiter cavere, ne inhabiles admitterentur; quæ ratio non habet locum in aliis Ordinationibus, per quas illi, qui jam Clerici facti ſunt, ad ſuperiorem Ordinem in illo ſtatu promoventur; ideoq; nec licet pænam illius legis ad alios Ordines extendere. (*d*)

Caſus.

VIII. Benedictus Clericus in Officiis Divinis, Ordinumq; functionibus bene verſatus, ſciens latinè bene legere & cantare, grammaticæ verò parum peritus, nondum orationes ne-

ctere,

(d) *Suarez. diſp. 31. De Cenſur. Sect. 5. nro3.*

ctere, ſenſumq; eorum, quæ in Epiſtolis, Evangeliis, & Miſsis leguntur; rectè intelligere didicerat, ſolùm enim rudimenta linguæ latinæ attigerat, ac aliquas nominum declinationes, verborum inflexiones, vocabulorumq; ſignificationes rudi (ùt ajunt) Minerva aſſecutus, voluit ad ulteriores Sacros Ordines promoveri, atq; ſuper ea re ſupplicavit Loci Ordinario, qui dubitabat, an ſive per diſpenſationem, ſive per interpretationem Concilii Tridentini, votis petentis annuere potuerat?

Reſolutio.

IX. Votis petentis Loci Ordinarium annuere potuiſſe volunt illi Doctores, qui concedunt Benedictum ordinari poſſe, etiamſi in illo nulla ſpes amplius appareat proficiendi in lingva latina, dummodò ſit in ſacrorum Ordinum functionibus ſtrenuus. (e) Ratio eorum eſt, quia cùm tunc ordinetur de ſola Miſſa, ſufficit, ſi ſciat ea, quæ ad celebrandam Miſſam pertinent.

X.

(e) *Quintanaduenas ſingul.* 13.

X. Verùm: sententia hæc etsi fortè subsistere possit in aliis Regionibus, in quibus de facili reperire est multa millia Sacerdotum, latinam lingvam ignorantium, ideoq; à tam multis Theologia moralis edita est vernaculo idiomate, attamen: in Provinciis Septemtrionalibus, præcipuè: in Polonia, Germania & Hungaria non habet locum, ut potè nostræ Religioni probrosa, tum propter inconvenientiam, tum propter hæreticos, in medio quorum vivimus. (*f*)

XI. Hinc contrariæ opinionis eliditur fundamentum, nam: licètsi Benedictus de sola (ùt ajunt) Missa ordinetur, ex ea tamen Ordinatione dedecus in Clero, & periculum non rectè administrandi Sacramentum sequeretur; cùm: ignarus (qualis est: linguam latinam nesciens, & per consequens in Theologia morali non sufficienter versatus) nunquam promovendus est ad Sacerdotium. (*g*) Imô: Episcopus Ordinans minus idoneum, debet eum suspendere, quia si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quan-

(f) *Gobat. De Sacram. Ordin. tract.* 8. *nro* 384. (g) *d. Can. Illiteratos. Dist.* 36.

quantò magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec veniâ. (h) Labia itaq; Sacerdotis custodire debent scientiam, (i) & ignorantiam, ùt pestem, abjicere, (k) nam: qui doctrinam repulerint, repellentur, ne Sacerdotió fungantur [l) cùm: Sacerdoti non sufficit innocentia vitæ sine scientia. (m) Attendant itaq; Ordinandi, quòd sicut iniqui & peccatores Ministerium Sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti & imperiti à tali officio retrahuntur; illi enim exemplîs suîs vitam bonorum corrumpunt, isti verò suâ ignaviâ iniquos corrigere nesciunt; nam: quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? desinant locum docendi suscipere, qui nesciunt docere, (n) cæcus equidem si cæco ducatum præbuerit, ambo in foveam cadunt. [o)

XII. Ut itaq; Sacerdotes in Ecclesia Dei habeantur scientifici, in qualibet Diæcesi debent institui Clericorum

rum

(h) *Can. Ignorantia. Dist.* 38. (i) *Malach.* 2. (k) *Can. Ideo. Dist.* 37. (l) *Oseæ* 4. (m) *S. Hieron. ep. ad Fabiolam. De veste nuptiali.* (n) *S. Isidor. de Summo bono lib.* 3. *cap.* 35. (o) *Matt.* 15.

rum Seminaria, eaq; singulari Episcoporum sollicitudine foveri, videlicet: ea sæpè invisendo, singulorum adolescentium vitam, indolem, & in studiis profectum explorando, Magistros idoneos, Virosq; Ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando, literarias ipsorum exercitationes, sive Ecclesiasticas functiones quandoq; præsentiâ suâ decorando, aliquâ demum Beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clariùs præstiterint, majoremq; laudem retulerint, conferendo. [p]

§. III.

Qualitas Ordinandorum quò ad vitam & mores.

I. Cùm sine magno Statûs Ecclesiastici dedecore tolerari non possit, quòd passim docti & indocti, probi & reprobi ad Ordines Sacros Majores, & Minores, ac sine discrimine promoveantur, multiq; jam Sacrìs initiati munia eorum Ordini convenientia obire

(p) *Bened. XIV. in ep: encycl. de Datum Romæ ad S. Mariam Majorem. die 3. Xbris. 1740. Pontificatûs sui Annô 1. §. 2.*

obire præ ignorantia non valeant, atq; per hoc Statui Ecclesiastico contemptum, & Sæcularibus grave scandalum pariant. (q) hinc: ut hæc periculosa indulgentia & negligentia præcludi possit; Minoribûs Ordinibûs initiandi non sunt, nisi ii, qui bonum vitæ testimonium à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educantur, habeant. Pro Majoribus verò Ordinibus requiritur, ut Ordinandus per Mensem ante Ordinationem adeat Episcopum, qui Parocho, vel alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibûs, ac desideriô eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositîs, de ipsorum Ordinandorum Natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quàmprimùm transmittat. (r) Præterea: in Diaconandis, & Subdiaconandis ultra bonum vitæ testimonium requiritur, ut in Minoribus Ordi-

(q) *Nicol. Dzierzgowski Archi-Ep. Gnesnen. in Statut. Lancicien.* 1547. (r) *Conc. Trid. Sess.* 23. *De Reform. cap.* 5.

Ordinibus sint jam probati. (s) Ordinandi verò in Presbyteros, ut piè & fideliter in Ministeriis anteactis se gerant, atq; pietate & castis moribûs sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ merita ab eis possint expectari. (t)

II. Defectu morum prohibentur ordinari, aut ordinati ab executione Ordinis suscepti, & susceptione altioris prohibendi sunt, qui crimine adulterii, perjurii, falsi testimonii &c. sunt irretiti; modò ejusmodi crimen enorme per evidentiam facti, quæ tergiversatione aliqua elidi non possit, vel per Sententiam Judicis, vel per propriam Rei confessionem in judicio factam, notorium, aut publicum sit. (u) Secus est: si ejusmodi crimina sunt occulta, sivè: nec in judicio legitimo probata, nec aliàs notoria; tunc enim, qui iîs irretiti sunt, prohiberi non debent, quòminùs post actam pænitentiam, si velint, in susceptis Ordinibus ministrent, & ad Superiores Ordines ascen-

(s) *d. Conc. Trid. l. s. c. cap.* 13. (t) *Idem ubi supra cap.* 14. (u) *c. ult. h. t. & gl. ibid. verb.* Notoria. *& verb.* Homicidii.

ascendant, (w] quia latentia crimina publicè vindicanda non sunt; (x) & secretorum Dominus DEUS Judex est ac Cognitor. (y)

III. Ab eo, quod dictum est, criminosum occultum non posse impediri ab exercitio Ordinis suscepti, nec minùs prohiberi, quòminùs ascendere possit ad superiores Ordines, excipiendum est crimen homicidii, quod etiamsi occultum sit, irregularitatem tamen inducit, in qua solus Summus Pontifex dispensare potest. (z) Ut autem haec irregularitas, distincta ab ea, quae incurritur ob defectum perfectae lenitatis, contrahatur, requiritur, ut homicidium, vel mutilatio fuerit facta cum mortali peccato injustitiae. (a)

IV. Defectu itidem morum ab Ordinum susceptione arcentur omnes infames, (b) sive sint infames infamiâ juris ortâ ex delicto, cui ex juris dispositione infamia annexa est; sive infamiâ

(w) *c. Ex tenore h. t.* (x) *Can. ult. 35. qu. 5.* (y) *Can. Erubescant. Dist. 32. Can. Consuluisti. 2. qu. 5. & gl. hic verb. Occultum.* (z) *Conc. Trid. Sess. 24. De Reform. cap. 6.* (a) *Gobat. tract. De Sacram. Ordin. nro 665.* (b) *Can. Infames. 6. qu. 1.*

famiâ facti, quæ provenit vel ex publica evidentia criminis, vel ex communiter vulgata opinione de commisso crimine, per quod fama & existimatio hominis, spectata personæ qualitate & statu, apud viros graves & prudentes graviter læditur. (c) Imò: juxta dispositionem Juris Canonici talis infamia facti, seu: popularis propter quodvis peccatum mortale publicè perpetratum, in quo aliquis notoriè perseverat, incurritur. (d) Verum id hodie temperato antiquorum Canonum rigore non ita strictè observatur, [quamvis strictissimè observari deberet,) ut qui notoriè peccavit mortaliter, ante peractam pænitentiam ad Ordines non admitteretur. (e) Tollitur hæc facti infamia per publicam & constantem vitæ emendationem, (f) quia non debet despici in eo, quod fuit, qui jam incipit esse, quod non fuit, (g) ideoq; irregularitatem propriè & simpliciter dictam hæc infamia non inducit, quia non

(c) *Layman lib. 1. Theol. moral. tract. 5. par. 5. cap. 4. nro 4.* (d) *Can. Alieni. 2. qu. 7.* (e) *Layman. l. s. c.* (f) *Can. Si duo. 35. qu. 6.* (g) *gl. in c. Testimonium. De testib.*

non est perpetuum impedimentum; seu: inhabilitas suscipiendi Ordines, vel susceptos exercendi, (*h*) generalis autem regula habet = Impedimentum, quod absq; dispensatione tolli, seu: ipsô factô cessare potest, non est propriè irregularitas. = Infamia verò Juris, seu: illa, quæ ex Legum Civilium, vel Canonicarum dispositione certis vitiis, & offic is vilibus annexa est; utì: histrionum, qui obscæna publicè repræsentant; aut per sententiam Judicis contracta ob crimen notorium, non tollitur per pænitentiam, sed per dispensationem Principis, cujus authoritate decreta fuit, (*i*) nam talis infamia habet rationem pænæ sententialis, quæ cùm à legitimo Magistratu in perpetuum sit illata, tolli nequit, nisi ab eodem Magistratu; ejusdem enim jurisdictionis est ligare & solvere, pænas imponere, & in integrum restituere.

V. Proba itaq; vita, ac innocui omninò mores debent esse eorum, qui ad Ordines Sacros promoveri anhelant; hinc rectè ac egregiè providus ille

(h) *Layman ubi supra nro* 10. (i) *Idem l.* 5. *c. tract.* 1. *par.* 5. *cap.* 4. *nro* 10.

ille universalis Ecclesiæ Pastor Benedictus XIV. omnes Episcopos Collatores Ordinum cohortatur hîs verbis:
„ In id mentis vestræ acies pri- „
„ mùm dirigenda est, ut cum accu- „
„ rato delectu ii Clericali militiæ „
„ adscribantur, â quibus meritò „
„ possit expectari, ut iis in lege Do- „
„ mini ambulantibûs, & de virtu- „
„ te in virtutem euntibûs, eorum „
„ vita cunctis afferat venerationem, „
„ & eorum opera Ecclesiis vestris „
„ spiritualem afferat utilitatem. „
„ Meliùs enim profectò est, paucio- „
„ res habere ministros, sed probos, „
„ sed idoneos, atq; utiles, quàm „
„ plures, qui in ædificationem „
„ Corporis Christi, quòd est Eccle- „
„ sia, ne quidquam sint valituri. „
„ Quantam idcirco Episcoporum „
„ cautionem ea in re Sacri Cano- „
„ nes requirant, non ignoratis, Fra- „
„ tres! sed ab eorum norma, quæ „
„ omninò servari debet, ne patia- „
„ mini vos abduci humano ullo „
„ respectu, vel importunîs ambien- „
„ tium suggestionibûs, vel fauto- „
„ rum precibûs. Apostoli verò præ- „
ceptum,

„ ceptam, ut ne manus cuiquam „
„ nimis properè imponantur, tunc „
„ potissimum servari necesse est, „
„ ubi de promovendis ad Sacros „
„ Ordines, & ad Sacratissima My- „
„ steria, quibûs nihil est Diviniùs, „
„ agendum sit. Non enim sufficit „
„ ætas, quæ per sacras Ecclesiæ leges „
„ unicuiq; Ordini præscripta est, „
„ nec indiscriminatim omnibus, „
„ qui in inferiori aliquo Ordine „
„ jam sint constituti, suo quasi jure „
„ patere debet aditus ad sublimio- „
„ rem, sed studiosè, magnâq; adhi- „
„ bitâ diligentiâ investigandum à „
„ vobis est, an eorum, qui priora „
„ susceperint ministeria, talis fuerit „
„ vivendi ratio, & in sacris scien- „
„ tiis progressio, ut verè judicandi „
„ sint, quibus dicatur = Ascende „
„ superiùs = cùm alioquin expe „
„ diat in inferiori potiùs aliquos „
„ remanere gradu, quàm cum suo „
„ majori periculo & aliorum scan- „
„ dalo ad altiorem provehi „ = (*k*)

Ca-

(k) *Bened. XIV. ubi supra.* §. 1.

Casus.

VI. Casimirus lapsus in hæresim, tandem ad se rediens, Deo adjuvante resipuit, ac ad unionem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ reversus est, utq; majorem occasionem pænitendi, ac Deo serviendi haberet, voluit Statui Clericali adscribi; dubitabat tamen, an adhuc irregularitas maneret, postquàm aliquis post ejurationem hæresîs de lapsu suo egerit pænitentiam?

Resolutio.

VII. Nimis rigidè alii firmant, hujusmodi personas neq; recipi in Clerum, neq; ordinari posse. (l) Hunc suum rigorem ea ratione extendunt, quod reversi ad Fidem satis habeant, quod ad pacem admittantur, qui antea hostes pacis extiterunt; nec debent illi revertentes ea apud nos Ordinationis & honoris arma retinere, quibûs contra nos rebellaverunt. Oportet enim Sacerdotes & Ministros, qui Altari & Sacrificiis deserviunt, inte-

(l) *Conc. Elibertinum. cap. 51. Can. Si voluerint. 1. qu. 7.*

integros, atq; immaculatos esse, cùm: homo, in quo fuerit macula & vitium, non debet accedere offerre dona Deo. (*m*) Idcirco: satis est talibus veniam dari, nec debet in Domo Fidei perfidia promoveri; nam: quid bonis, innocentibus, atq; ab Ecclesia non recedentibus reservabitur? si illi, qui ab Ecclesia recesserunt, & contra eam steterunt, honorabuntur. (*n*)

VIII. Mitiùs tamen procedunt alii, qui de tanto contra redeuntem ad Ecclesiam rigore descendentes, affirmant, illum posse in Clero remanere, & Ordinem, (dummodo ante omnia per publicam scripturam fateatur, se cum omni consensu Statuta Ecclesiæ Catholicæ observaturum;] suscipere. [*o*] Hinc: ex praxi videmus, quòd si redeuntes, peractâ pænitentia, laudabiliter se gesserint, consvevit Ecclesia cùm eis misericorditer dispensa-

 re.

(m) *Levit.* 21. (n) *Can. Illud quoq; Dist.* 50. *gl. in Can. Nos consvetudinem. Dist.* 12. *Felin. in c. Eam te. De rescript. nro* 12. *Majol. De irregul. lib.* 5. *cap.* 46. *nro* 1. *Decian. tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 54. *nro* 17. (o) *Conc. Nicænum cap.* 8. *rel. in Can. Convenientibus.* 1. *q.* 7.

re. (*p*) Quæ misericordia ut proficiat, non unica largitione consvevit in eos effundi; sed gradatim ac adhibitâ maxima circumspectione; quandoq; enim tales dispensantur, ut tantùm possint in susceptis Ordinibus ministrare, non autem ad Superiores ascendere; (*q*) quandoq; etiam talium revertentium tantus virtutum splendor emicuit, ut ad omnes Ordines & dignitates fuerint dispensati, (*r*) quod tunc maximè factum est, cùm id Ecclesiæ necessitas, vel utilitas exigebat. (*s*) Hæc tamen dispensatio requiritur pro hæreticis publicis & notoriis, idq; ob infamiam juris, quâ ratione contractæ hæresis coinquinantur; [*t*] non verò pro hæreticis occultis; nam: hi post pænitentiam & absolutionem ab excommunicatione ordinari possunt; quia non propter hæresim, vel apostasiam,
sed

(p) *Navarr. in Summ. cap.* 27. *nro* 205. *vers.* 3. *Sanchez De præcept. Decal. lib.* 2. *cap.*25. *nro* 2. (q) *Can. Si quis hæreticæ.*1.*qu.*1. (r) *Can. Ipsa pietas.* 23. *qu.* 4. (s) *S. Aug. ep.* 50. *Corrad. Brun. De hæret. lib.* 3. *cap.* 7. (t) *c. Quicunq; De hæret. in* 6.

ſed propter annexam juris infamiam irregularitas ſtatuta eſt. [*u*]

IX. Per hanc itaq; poſteriorem ſententiam prior aliquomodò rigidior mitigatur, quæ intelligi debet non propter deſperationem indulgentiæ, ſed propter rigorem diſciplinæ, ut majori humilitatis diſciplinâ adhibitâ, redeuntis ſalus tutiùs muniatur. (*w*)

§ IV.

Qualitas Ordinandorum quò ad titulum.

I. Nullus Sacrîs Ordinibûs initiari debet abſq; titulo, per quem Ordinando proviſum ſit de ſufficiente, eaq; perpetua vitæ ſuſtentatione, (*x*) quia juſtum eſt, ut qui obligantur ad ſerviendum Altari, ſeu Eccleſiæ, ex proventibus Eccleſiæ alantur. [*y*] Tum: ne illi, qui Divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere cogantur; (*z*) tum: ut Cle-

C2 ricus

(u) *Avila. De cenſur. par. 7. diſp. 4. dub. 2. conclus. 3. Gobat. De Sacram. Ordin. tract. 8. nro 655.* (w) *Can. Ut conſtitueretur. Diſt. 50.* (x) *Conc. Chalced. rel. in Can. Sanctorum, Diſt. 70. Conc. Trid. Seſs. 21. De Reform. cap. 2.* (y) *1. Cor. 9.* (z) *Conc. Trid. l. s. c.*

ricus ex titulo obligetur certo loco, ne vagetur per mundum. (*a*) Qui titulus pro prima Tonsura & Minoribus Ordinibus suscipiendis non requiritur, (*b*) quia in his constituti retrocedere possunt. (*c*)

+ 9 II. Duplex est titulus, super quo Clericus Sæcularis Sacrîs Ordinibûs initiari potest, nempe: titulus Beneficii Ecclesiastici, qui est propriè dictus titulus Ordinationis; & titulus patrimonii, quibus addi potest titulus Religiosæ paupertatis.

III. Ad titulum Beneficii Ecclesiastici requiritur *Imò*, ut Beneficium sit certum, ac perpetuum; (*d*) alioquin: si contingeret Ordinatum amoveri à Beneficio, non haberet, unde viveret; & sic sequerentur prædicta incommoda, ùt: quod scilicet cogeretur mendicare, vel sordidum munus exercere contra dignitatem Statûs Clericalis. Hinc: non potest quis ordinari ad Commendam,

(a) *Turrecremata in d. Can. Sanctorum. Dist.* 70. (b) *c. Si Episcopus. De Præbend. in 6. Garz. De Benefic. par.* 2. *cap.* 5. *nro* 4. (c) *c. Si qui. De Cler. conjug.* (d) *d. c. Si Episcopus. De Præbend. in* 6.

mendam, vel Vicariam temporalem, (*e*) neq; ad Capellaniam revocabilem, neq; ad Beneficium manuale, quia hoc semper revocari potest, & qui illud obtinet, ab eo pro arbitrio removeri potest. (*f*) Potest tamen Clericus ordinari ad Vicariam perpetuam, (*g*) & ad Coadjutoriam, si ea ex Summi Pontificis concessione irrevocabilis sit; seu: cum facultate succedendi concessa. (*h*) Item: potest quis ordinari ad pensionem Ecclesiasticam, si ea perpetua, ac veluti titularis sit; (*i*) non autem ad pensionem, quam aliquis habet super alterius Beneficio, quia hæc Pensionarii morte extingvitur, nec transferri potest in Successorem sine licentia Summi Pontificis. [*k*] 2*dò*. ad titulum Beneficii, super quo ordinatur Clericus, requiritur, ut Beneficium sit Clerico sufficiens ad honestam & decentem

(e) *Abbas. in c. Constitutus. De Filiis presbyter.* (f) *Barbos. De offic. & potest. Episc. alleg.* 19. *nro* 15. (g) *Salzed. in pract. cap.* 18. *vers.* 8. *Gonzalez ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. §. 3. *nro* 42. (h) *Barbos. l. s. c. nro* 23. *Garzias d. cap.* 5. *nro* 132. (i) *Ugolin. De offic. Episc. cap.* 26. §. 10. *nro* 4. (k) *Conc. Trid. l. s. c.*

tem ſuſtentationem. [*l*] Satis tamen est, ſi fructus Beneficii unà cum patrimonio certo ac ſtabili Clerici ſufficiant ad alimoniam ejus, etſi Beneficium per ſe ſolum non ſit ſufficiens. (*m*) Quodnam autem Beneficium per ſe, vel unà cum patrimonio ſufficiens cenſeri debeat? ſpectatîs circumſtantiîs Epiſcopi Ordinantis arbitrio relinqui debet, (*n*) quia determinatio eorum, quæ à Jure indeterminatè ſtatuuntur, prudenti Viro, nempe: Judici relinquitur. (*o*) Quamvis verò aliqui voluerint Beneficium debere eſſe tantum, ut ſufficiat ad honeſtam & decentem ſuſtentationem pro ſtatu & qualitate perſonæ ordinandæ in particulari; cùm Beneficium ſufficiens ignobili, non ſit ſufficiens nobili, vel eggregiè literato, (*p*) probabiliùs tamen eſt, tantùm requiri Beneficium ſufficiens ad hone-

ſtam

(l) *Ugolin. loc. cit.* §. 3. *&* 12. *nro* 2. (m) *Sacr. Congr. Card. teſte Fornar. De Ordine. cap.* 8. *nro* 10. (n) *c. De cauſis. De offic. Deleg. l.* 1. *ff. De jur. delib.* (o) *gl. in cit. c. Si Epiſcopus. verb. neceſſaria. Sanchez in opuſc. moral. tom.* 2, *lib.* 7. *cap.* 1. *dubit.* 35. (p) *Barbos. loc. cit, nro* 9. *&* 10. *Ledeſma De Sacram. Ordin. cap,* 7. *conclus.* 7.

ſtam & convenientem alimoniam Clerici, ut Clericus eſt, non ſpectata qualitate perſonæ, aut conditione particulari. (*q*) *3tiò.* ad titulum requiritur, ut Clerico Beneficium, ad quod ordinatur, actu ſit collatum, imò: & pacificè ab ipſo poſſeſſum, (*r*) adeoq; non litigioſum. (*s*) Hinc: nemo poteſt ordinari ad titulum de futuro, v. g. ad Beneficium, quod quis expectat, ſeu: ad quod eſt præſentatus, nominatus, aut poſtulatus. (*t*) Poteſt tamen quis ordinari ad titulum Beneficii, etiamſi illius fructus non percipiat, niſi poſt ſuſceptum Ordinem Presbyteratûs, [*u*) ſicut & ad ſervitium perpetuum alicujus Eccleſiæ, vel Altaris, ad quod cum conſenſu Epiſcopi, vel alterius Prælati eſt deputatus, ita; ut inde ali debeat, donec aliam ſufficientem ſuſtentationem conſequatur. (*w*) Poteſt etiam quis ordinari ad menſam

(q) *Conc. Trid. l. s. c.* (r) *Barbos. loc. cit. nro* 15. *&* 16. (s) *Ledeſma l. s. c. cap.* 8. *poſt conclus.* 8. *Garzias d. cap.* 5. *nro* 150. (t) *Sacr. Congr. Conc. ap. Garziam. loc. cit.* (u) *Conc. Trid. Seſs.* 23. *De Reform. cap.* 16. *Zerola in prax. Epiſc. verb. Dimiſſoriæ.* (w) *Gallermant in Declar. ſup. loc: cit. Conc. Trid.*

ſam Seminarii, ubi remanere debet, donec aliàs ei proviſum fuerit de congrua ſuſtentatione; ſed hic menſæ titulus impropriè talis eſſe dicitur. (x) Præterea: ille, qui nec Beneficium, nec Patrimonium habet, ſtante penuria Sacerdotum poteſt ad Sacros Ordines promoveri, dummodo adſit, qui ei ſpondeat ſe neceſſaria adminiſtraturum. (y)

IV. Alter Ordinationis titulus eſt titulus Patrimonii, ad quem Ordinationes originem ſuam repetunt, à Concilio Lateranenſi III. quod A.D. 1179. ſub Alexandro III. celebratum fuit. (z) Diſputatum quidem fuit in Concilio Tridentino, & acriter controverſum, abolenduſne an retinendus eſſet uſus ordinandi Clericos ad titulum Patrimonii? cum aliquô jam tunc animô Patres ibidem congregati proſpicere ſe dicerent, ſi hujuſmodi conſvetu-

(x) *Id. l. s. c. Grilenzonius cons.* 14. (y) *Thomaſſinus De vet. & nov. Eccl. diſcipl. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *nro* 2. (z) *Conc. Trid. Seſs.* 21. *De Reform. cap.* 2. & *latiùs narratur à Card. Pallavicini in Hiſt. ejuſd. Conc. lib.* 17. *cap.* 9.

ſvetudo retineretur, apertum aditum relictum iri, ut Ordinationum numerus in immenſum forſan excreſceret. Sed aliîs prudenter conſiderantibûs, quod ſi unicus Beneficii titulus ad Ordinationem reliquus foret, cùm plures eſſent Diæceſes, Eccleſiaſticîs Beneficiîs parum feraces, aliæq; ipsîs penè deſtitutæ, futurum facilè eſſet, ut Diæceſani ſufficientem Miniſtrorum numerum ſpiritualibus eorum uſibus non haberent; in hoc demum conſilium à Patribus prudenter deventum fuit, ut titulum Patrimonii nequaquam excluderent, ſed admittendum ſtatuerent pro iis duntaxat, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos, pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, (*a*) quæ neceſſitas vel ſaltem commoditas ordinariè adeſt præſertim in Viris doctis, & vitæ probatæ. (*b*) Hujus itaq; Decreti verbis, ſimulq; intentioni Concilii Tridentini inhærendo, dicendum eſt, hodierno etiam tempore verum Ordinationis titulum eum eſſe, quem Eccleſiaſtica Beneficia ſuppeditant,

(a) *Navarr. conſ.* 14. *h. t.* (b) *Fagnan. in c. Epiſcopus. nro* 24. *De præbend.*

tant, nec nisi per viam dispensationis Patrimonium pro titulo Ordinationis admitti. (c) Quæ cùm ita sint; sapiens certè Executor mentis prædicti Concilii dicendus erit ille Episcopus, qui diligenter perpendens, quot sint per suam Diæcesim Beneficia, de quibus ipse disponere valeat, & quo Sacrorum Ministrorum numero Diæcesis ipsa indigeat, ut in Parochialibus, aliisq; Ecclesiis Divinus Cultus, & Sacramentorum administratio rectè gerantur, ut Monialibus Confessarii, Hospitalibus, & Locis Piis Rectores, Curatoresve non desint, hinc regulam, atq; mensuram capiat; juxta quam ad supplendum Beneficiorum defectum Ordinationes ad titulum Patrimonii admittat & peragat. Ita enim intelligenda est necessitas illa, aut commoditas Ecclesiarum, quam Tridentina Synodus præ oculis haberi jubet. Ad quam tamen rectè præterea referri poterunt occurrentes identidem casus piorum quorundam Virorum, quos generis nobilitas, aut sacrarum disci-

(c) *Bened. XIV. De Synodo Diæcesana lib. 11. cap. 2.*

diſciplinarum ſcientia commendat, quiq; Eccleſiaſtici Beneficii obtinendi copiam non habentes, in Clerum se admitti, & ad Sacros Ordines promoveri poſtulant ad titulum Patrimonii; ſiquidem: negari non poteſt per hujuſmodi Viros non parùm ſplendoris & utilitatis in Eccleſiam redundare. (*d*)

V. Nomine Patrimonii hìc intelliguntur Bona propria Clerici, ſive illa à Patre profecta ſint, ſive ex propria induſtria, vel ex donatione alterius, vel ex alio quovis legitimo titulo acquiſita, (*e*) dummodo juxta Epiſcopi Ordinantis arbitrium ſufficiant ad honeſtam Clerici Ordinandi ſuſtentationem; ad id enim requiritur titulus, ut habeatur honeſta ſuſtentatio, undecunq; illa haberi poteſt. (*f*) Ad titulum verò Pàtrimonii requiritur *imò* ut hæc Bona Patrimonialia, ad quæ Clericus ordinatur, ſint certa, quia ſi ſint incerta, ſciri non poteſt, an ſit ſufficientia ad alimoniam Clerici? (*g*) 2*dò*

(d) *Congr. Conc. die* 10. *Apr.* 1598. (e) *Barbos. l. s. c. nro* 52. (f) *Congr. die* 6. *Febr.* 1597. (g) *Azor. Inſtit. Moral. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *qu.* 7.

Poteſt Patrimonium conſtitui in Cenſibus, ut declaravit S. C. in Nullius 21. Junii 1629.

2dò ut ſint immobilia, quia res mobiles facilè extingvuntur, & conſumuntur uſu & lapſu temporis. (h) 3tiò ut ſint libera & alteri non obligata, pro cenſu, ære alieno, vel dote &c. quia aliàs fieri poſſet, ut à creditoribus auferantur. (i) 4tò, ut ſint frugifera, ideſt: ut annuum reditum Clerico Ordinato adferant, quia idem eſt: rem non habere, & habere, ſed inutilem. Niſi res infrugifera alienari poſſit, & ex pretio frugiferum aliquid comparari. Hinc: non poteſt quis ordinari ad Bona Patrimonii, in quibus ille directum tantùm Dominium habet, alter verò utile; quia: cùm inde nullos fructus percipiat, pauper erit. (k) Debet igitur Epiſcopus accuratam inquiſitionem inſtituere ſuper realitate, & ſubſiſtentia Patrimonii, ad cujus titulum ſinguli quiq; ordinari ſe poſtulant; innumeræ enim ſunt fraudes, quæ in profeſſionibus, & aſſignationibus hujuſmodi patrimonialium cenſuum, atq; redituum committi poſsunt. (l)

VI.

(h) *Ugolin. loc. cit. cap.* 62. §. 10. *nro* 2. *&* §. 12. *nro* 3. (i) *Barbos. l. s. c. nro* 38. (k) *Bened. XIV. ubi ſupra.* (l) *Conc. Trid. loc. cit. Flamin. De reſign. lib.* 5. *qu.* 6. *nro* 174.

VI. Sicut Ordinatus ad Beneficium non potest illud resignare, nisi facta mentione, quod ad illius titulum promotus sit, & nisi constet, quòd aliunde commodè vivere possit; alioquin: resignatio erit nulla; [*m*) ita Bona Patrimonii, ad quæ aliquis Ordinatus est, deinceps sine licentia Episcopi alienari, extingvi, aut remitti nullatenus possunt, nisi priùs ipsi Clerico per Beneficium Ecclesiasticum, vel aliunde sit sufficienter provisum (*n*) & consequenter: ejusmodi Bona patrimonialia nec vendi, nec permutari, nec sub hypotheca obligari possunt, (*o*) quia: nomen alienationis generale est, & omnem alienationem quacunq; ratione factam complectitur, (*p*) unde: alienatio Patrimonii subsequens Ordinationem perinde ipso jure irrita est, sicut renuntiatio Beneficii, ad quod aliquis ordinatus est. (*q*)

VII. Non habens Beneficium, aut Patrimonium, non potest promoveri ad

(m) *Conc. Trid. loc. cit.* (n) *Sacr. Congr. Conc. die* 6. *Martii.* 1638. *& die* 14. *Febr.* 1652. (o) *c. Nulli, De reb. Eccles. non alien.* (p) *Barbos. loc. cit. nro* 78. (q) *Congr. Conc. Mense* 8*bri.* 1589. *& die* 23. *Maii.*1609.

ad Sacros Ordines, etiamsi ex iis, quæ propriâ industriâ, aut honestô officiô lucrari potest, v. g. quòd sit pictor, musicus, Magister grammatices, aut aliam licitam professionem exerceat, sufficienter & honestè se alere possit; neq; etiam ad titulum Litteraturæ, v. g. Doctoratûs in Theologia, vel Jure Canonico, quamvis sit insigniter doctus, aliquis ordinari potest, (r) quia: in Viro etiam eruditissimo subesse potest periculum inopiæ ob varios casus, ùt v. g. infirmitatis, ob quam inutilis fiat, & egeat. (s) Neq; Filius ordinari potest ad titulum hæreditatis, vel Patrimonii, Patre vivente; nam: etsi aliàs pauper censendus non est, qui divitem Patrem habet; cùm: filius sit hæres necessarius Patris sui, & ab ipso, si eget, ali debeat, (t) lex tamen actu Beneficium, vel Patrimonium requirit, & non in spe tantùm, sive fictione juris. Hinc: in tali casu

Pater,

(r) *Barbos. l. s. c. alleg. 19. nro 172. Bened. XIV. protunc Archi-Episc. Bonon. in sua Instructione edita die 1. Febr. 1734. nro 7.* (s) *Paris. lib. 2. De resign. Benefic.* (t) *Molina De Jur. & Just. disp. 238.*

Pater, ſicut alius extraneus, filio ordinando certam rem frugiferam deſignare, eamq; re ipſa donare, aut tradere debet, quæ ſit inſtar Patrimonii, nec alienari poſſit. (*u*)

VIII. Ultimus titulus ſolis Religioſis proprius, eſt titulus Religioſæ paupertatis, ſive Profeſſionis in Religione approbata emiſſæ; nam: Religioſi ſolemniter ac validè profeſſi abſq; alio titulo promoveri ad Sacros Ordines poſſunt; (*w*) quia in illis Profeſſio titulum Beneficii ſubit, ex quo: Religio teneatur alere ſuum Religioſum. (*x*) Religioſi verò non profeſſi ſine titulo non ſunt promovendi ad Sacros Ordines, quod ipſum intelligendum eſt de Religioſis invalidè profeſſis. (*y*)

IX. Epiſcopus, qui Clerico non habenti titulum Beneficii, aut alterius neceſſariæ ſuſtentationis, Ordinem Sacrum confert, debet ei opportuna alimen-

(u) *Can. Neminem. Diſt.* 70. (w) *Zerola in prax. Epiſc. verb. Dimiſſoriæ.* (x) *S. Pius V. in Conſtit. quæ incipit = Romanus Pontifex. = prid. id. 8bris.* 1568. *edita.* (y) *c. Cùm ſecundùm. De præbend.*

menta providere, consideratîs facultatibûs Ecclesiæ, & dignitate Clerici, donec taliter Ordinatus aliquod Beneficium Ecclesiasticum consequatur. (z) Sub his autem alimentis comprendendur cibaria, vestes, habitatio, medicina. [*a*] Idq; extenditur *Imò*, ut hæc alendi obligatio transeat etiam ad Episcopum Ordinantis Successorem, (*b*) quia est onus reale, quô gravatur ipsa mensa Episcopalis, ideoq; ad Successorem transit. (*c*) *2dò* ut Episcopus Ordinans teneatur Ordinato, etiam habenti titulum, sed non sufficientem, supplere id, quod ei deest. (*d*) *3tiò* ut si ordinavit aliquem, qui priùs jam in Sacris fuit constitutus, teneatur illi providere de alimentis, cùm tali Ordines reliqui non debebant conferri. (*e*) *4tò* ut si Episcopus Beneficii resignationem, ad cujus titulum aliquis ordinatus est, admittat, debeat eum post admissam resignationem alere, si sufficientem sustentationem aliunde non habeat. (*f*)

X.

(z) *Abb. in d. c. Cùm secundùm. nro* 9. (a) *d. c. Cùm secundùm.* (b) *gl. ibid. verb. Successores.* (c) *Ugolin. Barbos. loc. cit.* (d) *Iid. ibid.* (e) *Paris. lib.* 2. *De resign. Benefic. q*[*u*]. 6. *nro* 4. (f) *c. Cognoscentes. De Constit.*

X. Dantur tamen nonnulli casus, in quibus hæc alendi obligatio cessat. Et sic: *imò*. si Episcopus non fuit in-culpa ordinando sinè titulo, v. g. quia Clericus per fraudem, fingendo titulum, Ordinationem impetravit sinè culpa Episcopi, nam res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non debet. (*g*) *2dò*. si quis Clericum præsentavit Episcopo ordinandum, tunc Patronus, seu is, qui præsentavit, interim Clericum alere debet, si hic ex servitio, aut Beneficio Ecclesiastico sustentationem non habet. (*h*) *3tiò*. Si Archidiaconus, qui ratione officii sui Ordinandos examinare, & admittere debet, per inadvertentiam aliquem sinè titulo ad Ordines admittat, & Episcopo præsentet; tunc obligatio alimenta præstandi primô locô incumbit Archidiacono, & in defectu illius tenetur Episcopus. (*i*) Quòd si quis non ex officio, sed ex speciali mandato Episcopi Ordinandum examinet, quamvis Episcopus aliter Examinantem pu-

D nire

(g) *d. c. Cognoscentes. De Constit.* (h) *c. Per tuas. De simonia &c.* (i) *gl. in c. Ad hæc. De offic. Archidiac. verb. Examinentur.*

nire possit, si quempiam sinè titulo ad Ordines admittat; tamen non Examinans, sed Mandans tenetur providere Examinato. (*k*) *4tò*, si Ordinatus sinè titulo, aliunde de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ habere possit, tunc etiam Episcopus ad præstanda ei alimenta non tenebitur. (*l*) Idemq; probabiliter dici potest, si quis honestîs laboribûs victum sibi comparare posset, v. g. agendo Capellanum, vel quid aliud Statui non inconveniens faciendo, nam: & Pater ad præstanda alimenta filio, & vice versa: filius Patri tenetur, nisi suîs laboribûs vivere possint. (*m*)

XI. Si quis Ordinatus est sine titulo, sed absq; propria culpa, quia nempe nullum habens, vel saltem non sufficientem titulum, sincerè Episcopo proposuit, vel Episcopus sciens, aut scire debens, illum absq; titulo ad Sacrum Ordinem promovit, tunc Ordinatus nullam pænam incurrit, sed Episcopus Ordinans: quia in culpa fuit, &

(k) *Innoc. in c. Cùm sit. De ætat. & qualit. & ordin. præficiend.* (l) *c. Episcopus. De præbend.* (m) *Can. Si quis. Dist. 30.*

& eum alere debet, aut ei providere de Beneficio. (*n*) Si verò ipse Ordinatus in culpa est, v. g. ineundo pactum cum Ordinante, vel cum Præsentante, non petendi sustentationem, aut Beneficium, aut aliquid aliud, unde ali possit, tunc incurrit suspensionem ab executione Ordinis suscepti, quia hic videtur suscipere Sacros Ordines sine titulo. (*o*)

Casus.

XII. Dyonisius Clericus nullo præviô pacto cum Ordinante, vel Præsentante Ordines sinè titulo suscepit, sed solummodò Episcopum decepit, titulum Beneficii, aut Patrimonii finxit, mentiendo, aut falsò probando habere quod non habet, vel plus habere, quàm re ipsa habeat, cùm tamen id, quod habet, ad sustentationem illius non sufficiat; aut si fictam donationem ab aliquo accipiat. Horum itaq; unô injustô modô deceptus Episcopus ordinavit Dyonisium, ast tandem Ordina-

(n) *Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. De Reform.*
(o) *c. penult. De Simonia &c. gl. in d. c. Per tuas. De Simonia &c. verb. Intellexerit. Alterius. De censur. tom. 2. disp. 10. cap. 3. versu. potest.*

tus ſcrupulîs angitur, an ea ex ratione ſuſpenſionem non incurrerit?

Reſolutio.

XIII. Excuſabilem eſſe Dyoniſium à pæna ſuſpenſionis, quoties nullum iniit pactum cum Ordinante, vel Præſentante petendi quidpiam, dicunt nonnulli; hujuſq; ſui ſenſus has dant rationes: tum quia nullo jure probari poteſt ejuſmodi ſuſpenſio; jus enim antiquum (p) hunc rigorem extendens dicunt eſſe ſublatum per jus poſterius; (q) tum quia quâmplures Sacræ Concilii Congregationis Deciſiones pro hac parte adducuntur. (r)

XIV. Verùm: oppoſitum placet, adeoq; ſic Ordinatus ſuſpenſionem incurriſſe cenſendus eſt. (s) Doctores huic

(p) *Can. Neminem. & Can. Sanctorum. Diſt.* 70. (q) *c. Cùm ſecundùm. De præbend.* (r) *Gonzalez ad Regul.* 8. *Cancell. gl.* 6. §. 10. *nro* 22. *Guttierez lib.* 2. *pract. qu.* 65. *nro* 1. *vers. Nec opinio. Henriquez in Summa lib.* 13. *qu.* 37. *nro* 2. *Fornarius De Ordine cap.* 8. *nro* 8. *& alii ap. Garziam De Benefic. par.* 2. *cap.* 5. *nro* 21. *& ſequ.* (s) *Bernardus Diaz in pract. cap.* 18. *in princ. Suarez De cenſur. diſp.* 1. *Sect.* 1. *nro* 31. *& ſequ. Majol. lib.* 4. *De irregul. cap.* 15. *Graſſius. Decis. lib.* 2. *cap.* 97. *nro* 56. *& alii ap. Garzia. l. s. c. nro* 24.

huic Sententiæ adhærentes fundantur in ea ratione, quia hic dicitur Sacros Ordines ſuſcipere ſinè titulo, & jura abſolutè ſuſpendunt ſuſcipientem Sacros Ordines ſinè titulo. (*t*)

XV. Contrariæ rationes nihil evincunt; nam *imò* hæc ſuſpenſio eſt expreſſè impoſita contra promotum ad Sacros Ordines cum titulo ficto, falſo, aut fiduciario (*u*) *2dò.* quia antiqui Canones per poſteriores non revocantur reſpectu eorum, qui doloſè promoventur fictô titulô, ſed ſolùm per dictos poſteriores Canones decernitur, ut Ordinatus non afficiatur ſuſpenſione, ſi abſq; fraude & malitia fateatur ſe titulum non habere, ſicq; permittat ſe ordinari; Ordinans verò, ſi in tali caſu Ordines illi ſponte conferat, teneatur ad alendum Ordinatum, donec illi de Beneficio provideat. (*w*) *3tiò* quia Declarationes Sacræ Congre-

gatio-

(t) *Sacra Card. Congr. teſte Fornar. ubi ſupra. Steph. nus Quaranta verb. Ordo. verſic. An verò.* (u) *Bulla Urbani VIII. quæ incipit = Secretis æternæ Providentiæ = die* 11. 10*bris.* 1624. *edita.* (w) *Navarr. cons.* 14. & 46. *h. t. ac in Manual. cap.* 27. *nro* 158. *Alterius tom.* 2. *diſp.* 10. *cap.* 3. *col.* 3.

gationis non faciunt jus, & non semper omnibus casibus accomodari possunt. (x)

§ V.

Qualitas Ordinandorum quò ad proprium Episcopum.

I. Triplex est Episcopus proprius, à quo licitè possunt Ordines suscipi. (y) *Imus* est Episcopus originis, ille nempe, in cujus Diæcesi Ordinandi Parentes habuerunt constitutum domicilium habitationis tempore, quô natus est; quia: si in aliqua Diæcesi natus est, in qua Parentes ejus ex accidenti morabantur, v. g. occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ; nullatenùs ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm & naturalis patris origo erit attendenda. (z) In illegitimis, si ad Ordines legitimentur, attenditur domicilium matris; in expositis locus nativitatis, vel

(x) *Bonacin. tom. I. De Sacram. Ordin. disp. 8. qu. un. punct. 5. nro* 21. (y) *c. Nullus. h. t. in* 6. (z) *Innoc.* XII. *in Bulla, quæ incipit* = *Speculatores Domûs Israel* = *Prid. Non. 9bris.* 1694. *edita.*

vel expositionis; (*a*) in conversis ad Fidem à paganismo, vel judaismo locus Baptismi. (*b*) 2*dus* Episcopus est domicilii, ille videlicet, in cujus Diæcesi Ordinandus habitat, animô perpetuò ibidem manendi. [*c*] Domicilium verò ad effectum suscipiendi Ordines non contrahitur, nisi quis vel per decennium saltem in aliquo loco habitaverit, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in hujusmodi locum transtulerit, ibiq; per considerabile tempus commorando, animum suum perpetuò ibidem manendi, satis superq; demonstraverit, & nihilominus in utroq; casu juret se verè & realiter hujusmodi animum habere. (*d*) Hoc domicilium censentur habere Regulares in Monasterio, in quo, ùt membra degunt, quamvis non habeant animum ibidem manendi, unde ab Episcopo illius loci ordinandi sunt. (*e*)

3tius

(a) *Barbos. De offic. & potest. Episc. par.* 2. *alleg.* 4. *nro* 15. *& sequ.* (b) *Schmier. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *Sect.* 2. §. 1. (c) *Innoc. XII. loc. cit.* §. 11. (d) *Diana tom.* 2. *tract.* 5. *resol.* 43. *& sequ.* (e) *arg. c. Cùm nullus. h. t. in* 6.

3tius Episcopus est Beneficii, in cujus Diæcesi Ordinandus obtinet Beneficium, sive pingve, sive tenue, sive exigat residentiam, sive non. (*f*)

II. A quolibet horum Episcoporum quicunq; ordinari potest, præterquàm in sequentibus casibus, *imò*. Clericus certæ Ecclesiæ adscriptus, eandem inconsultô Episcopô deserens, à Sacrorum Ordinum exercitio est prohibendus, per consequens: nec ab alio Episcopo ulteriùs promoveri debet. (*g*) *2dò* ob reverentiam Summi Pontificis, ab Eodem ordinatus, sinè Ejus licentia ab alio ad altiores Ordines promovendus non est. (*h*) *3tiò*. Græci à Latinis ritu Latinorum, aut Latini à Græcis ritu Græcorum non sunt ordinandi, ne rituum commixtiones fiant. (*i*) *4tò*. Nullus Episcopus Italiæ debet aliquem ultramontanum, (idest: extra Italiam oriundum:] ordinare, nisi habeat vel à Summo Pontifice specialem super eo licentiam, vel ab Episcopo, de

(f) *Innoc. XII. loc. cit.* §. 8. (g) *Conc. Trid. Sess.* 23. *De Reform. cap.* 16. (h) *arg. c. Cùm in distribuendis. h. t.* (i) *c. Cum secundùm. h. t.*

Casus. Archiepiscopus Leopolien. renuntiavit Archiepiscopatui, post illam renuntiationem quosdam Clericos ordinavit. Successor illius quaesivit, Utrum illi in ordinibus ipsis debeant remanere?

Rx Papa cum dist: utrum renuntiavit loco ttl., an loco simul et dignitti: Si Imo. potest ordines conferre, sicut et ante invittus ab Epo aliquo. Si 2do distinguit Papa: an Sacros, an Minores Ordines contulit. Si Minores: in illis poterit Ordinatus ministrare, hi enim aliqdo non ab Episcopis conferuntur. Si Sacros: subdistinguit: vel scienter. Ordinatus executionem Ordinis non habebit. vel ignoranter: cum tali Epus pot dispensare, nisi ignorantia sit crassa et supina. Ex hac resolutione sequitur: Minores posse conferri a non Episcopis. Itt qui non habet executionem ordinis, eam dare nequit. Itt. ignorantia crassa et supina non inducit dispensationem.

Casus. Quid faciendum de Clericis, qui ordinantur ab excommunicato? Rx Si ignoranter, potest cum talibus per suos Episcopos dispensari.

Contra. Ergo excommunicatus confert Ordinem. Rx Affir. juxt. can. ab Excommunicatis. 9. q. 1. Item et Haereticus can. Ordinationes. ibid.

Contra. Nullo modo dicitur consecratio, quae ab Excommunicatis est celebrata. can. Nos consecrationem. 9. q. 1. Rx quia non fuit servata forma Ecclesiae. Vel. n dicitur qtum

q̃tũ ad executionem. Nemo enim dat, quod n̄ habet. Sed Numquid potest alios excommunicare? Videtur quod sic, quia confert Ordines, quod est plus. Sed non. Disparitas. Quia cum sit extra Ecclesiam, alium ejicere extra Ecclesiam n̄ pt. can. Audivimus. 24. q. 1. Secus in ordine, quia licet sit extra Ecclesiam, characterem tamen retinet.

Casus. Qui in una Diœcesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia Beneficium, à quo trium horum Episcoporum potest Ordines et Dimissorias accipere? R. à quocunque.

Quodsi ab uno acceperit Ordinem unum, an possit alterum ab alio accipere? R. Aff.

Contra. Innocentius XII. in Bulla = Speculatores = sic habet. = Initiatus Tonsura vel Minoribus à proprio Episcopo, n̄ pt ulterius ordinari ab alio titulo Beneficii, nisi prius exhibitis Litteris Testimonialibus Episcopi tam originis quam Domicilii super Natalibus ætate et moribus. R. Hoc currit de Episcopo n̄ proprio f.

de cujus Diæcesi Ordinandus traxit originem, vel in cujus Diæcesi Beneficiatus existit, per ejus patentes litteras, causam rationabilem continentes, cur ipsum nolit, aut nequeat ordinare; aliter: Ordinatus est suspensus, & Ordinans condignâ pænitentiâ puniendus. [*k*]

III. Non subditum potest Episcopus ordinare titulô triennalis familiaritatis. (*l*) Dicitur autem familiaris Episcopi in ordine ad effectum Ordinationis, qui per triennium moraliter continuum præsens Episcopo inservivit, & in ejus obsequio sive intra, sive extra domum fuit versatus, ejusdemq; impensîs fuit sustentatus; non autem is, qui absens fuerit, etsi alibi sumptibûs Episcopi vixerit, quia tunc Episcopus non potest illius mores satis cognoscere, ob quem finem hoc triennium præfixum est. (*m*) Non tamen poterit hujusmodi Episcopus dispensare in interstitiis temporum, ut illîs non

(k) *c. Sæpe. h. t. in 6. d. Bulla Urbani VIII. quæ incipit* = *Secretis. &c.* (l) *Conc. Trid. Sess. 28. De Reform. cap. 9.* (m) *Barbos. l. s. c. alleg. 5. nro 6. & 7.*

non ſervatîs, familiaris ſuus triennalis ordinetur, quia: cum facultas ordinandi aliàs non ſubditum ratione familiaritatis conceſſa, ſit odioſa, & præjudicans Ordinario Loci, ac omninò diverſa à poteſtate diſpenſandi in interſtitiis, non debet ad illam extendi. (n) Neq; etiam poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illo ſuper illegitimis natalibus, etiam ad Minores Ordines. (o) Taliter Ordinans familiarem ſuum, debet illi ſtatem (ideſt: intra Menſem) re ipſa Beneficium conferre, quô collatô & non ante, poteſt cum illo, tanquam jam cum ſuo ſubdito diſpenſare. (p)

IV. Epiſcopi Titulares, qui actu Eccleſiam & Diæceſim non poſſident, non poſſunt ſuum familiarem non ſubditum, etiam poſt triennium ordinare, prætextu continuæ familiaritatis, vel commenſalitatis ſuæ, etiamſi in loco nullius Diæceſis, vel exempto reſederint, & nec quidem ad Minores Ordines, aut primam Tonſuram promovere abſq; proprii Epiſcopi expreſſo con-

(n) *Pirrhing. h. t.* (o) *Sacr. Congr. Conc. die 25. Junii. 1590.* (p) *Barbos. loc. cit. nro 14.*

consensu, aut Litteris dimissoriis; (q) quia talis Episcopus non habet propriam Diæcesim, in qua familiaris Ejus domicilium acquirere possit, neq; etiam habet Beneficia, quæ conferre possit Ordinando. (r) Contrafaciens Titularis Episcopus ab exercitio Pontificalium per annum; ab eo verò Ordinatus ab exercitio Ordinum susceptorum ipso jure tamdiu est suspensus, quamdiu proprio Episcopo visum fuerit. [s]

V. Potest Episcopus ordinare non subditum, si hic habeat Litteras dimissorias. (t) Sunt autem Litteræ dimissoriæ, scriptum quoddam sive facultas continens expressam licentiam, ut aliquis ab alieno Episcopo Ordines suscipere possit. Vocantur Dimissoriæ, (u) quia per illas subditi ordinandi dimittuntur, idest: licentia iis datur, ut ab alio quàm à proprio Episcopo Ordi-

(q) *Conc. Trid. Sess.* 14. *De Reform. cap.* 2. (r) *Piasecki in prax. Episc. par.* 1. *cap.* 1. *art.* 2. *nro* 15. (s) *Conc. Trid. loc. cit.* (t) *Koning. h. t. nro* 28. *Schmalzgr. h. t. nro* 43. *& sequ.* (u) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 2. *& Sess.* 23. *cap.* 10. *De Reform.*

Ordines suscipere possint. Vocantur etiam Reverendæ, (w) quia a Reverendissimo Antistite conceduntur. (x) Aliquando etiam vocantur Commendatitiæ, seu testimoniales Litteræ, (y) quia per ipsas commendantur mores, probitas & scientia Ordinandi, aut de his, aliisq; quæ ad Ordines suscipiendos pertinent, testimonium datur. (z)

VI. Litteras Dimissorias dare potest *imò* Summus Pontifex, & quidem Christianis omnibus, in toto Orbe existentibus, (a) nam Papa est Episcopus, seu Ordinarius omnium Fidelium. (b) *2dò* Legatus Sedis Apostolicæ à latere, ex indulto ipsis concedi solito. [c] Archi-Episcopus tamen, licètsi sit Legatus Natus, (qualis apud nos in Polonia est Gnesnensis) subditis Suffraganeorum suorum has dare non potest, quia nec Ordines eis conferre potest. *3tiò* Episcopus proprius, sive sit ori-

(w) *Conc. Trid. Sess. 7. De Reform. cap.* 10. (x) *Ugolin. De offic. Episc. cap.* 26. §. 20. *nro* 10. & 11. (y) *Conc. Trid. cit. Sess.* 14. *De Reform. cap.* 2. & 3. (z) *Ugolin. l.* 5. *c. nro* 10. (a) *c. Sæpe contingit. h. t. in 6.* (b) *Pirrhing. h. t.* (c) *Garz. De Benefic. par.* 5. *cap.* 7. *qu.* 59.

originis, five Beneficii, five domicilii, illas fubditis fuis dare poteſt, (*d*) dummodo non electus tantùm, ſed etiam confirmatus ſit, quamvis nondum conſecratus, nam: concedere licentiam, ſeu: Dimiſſorias, eſt actus jurisdictionis, quam conſequitur Epiſcopus, ſtatim ac eſt confirmatus; (*e*) has tamen concedere nequit, ſi fuerit excommunicatus, aut ab officio ſuſpenſus, & nominatim denuntiatus. (*f*) Officialis verò, ſeu Vicarius Generalis Epiſcopi Litteras Dimiſſorias dare nequit, quia ad hoc illius officium non ſe extendit, (*g*) præter ſequentes caſus. *Imò* ſi ab Epiſcopo ſpeciale mandatum vel facultatem ad id acceperit. (*h*) *2dò.* ſi Epiſcopus in remotis agat, [*i*) Dicitur autem Epiſcopus in remotis agere, ſi ſit extra Diœceſim, vel ultra duas dietas à loco reſidentiæ ſuæ, vel in diſſito juxta arbitrium prudentis viri loco

exi-

(d) *c. Cùm nullus. h. t. in 6.* (e) *gl. in c. Transmiſſum. De electione.* (f) *Piaſecki in prax. Epiſc. par. 1. cap. 1. art. 2. nro 9. Barbos. De offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 7. nro 5.* (g) *d. c. Cùm nullus. h. t. in 6.* (h) *gl. in d. c. Cùm nullus. verb. Non extendat.* (i) *d. gl. in cit. c. Cùm nullus.*

existat. Neq; etiam jure novissimo Capitulum Sede vacante, vel Administrator in Spiritualibus à Capitulo deputatus dare possunt Dimissorias, nisi illis, qui Beneficii recepti aut recipiendi occasione arctati fuerint. (*k*) Dicitur verò quis arctatus ratione Beneficii recepti, qui obtinet Beneficium requirens officium personale; ratione cujus de jure, consvetudine, statuto, vel fundatione tenetur habere certum Ordinem intra annum; ratione verò Beneficii recipiendi arctatus dicitur, qui primâ Tonsurâ insignitus habet jus, seu vocatur per electionem, aut præsentationem ad Beneficium aliquod vacans, certum Ordinem, quô ille caret, actu requirens. Non dicitur autem arctatus is ratione Beneficii recipiendi, cui aliquis vult resignare Beneficium, actu requirens Ordinem, quô caret. (*l*) Si verò Capitulum aut Administrator Sede vacante, aliis quàm quibus supra licitum est, dando Dimissorias dispositioni Juris contravenerit, tunc Ecclesiastico interdicto subja-

(k) *Conc. Trid. Sess. 7. De Reform. cap.* 10.
(l) *Garz. l. s. c. nro* 98. *&* 99.

ſubjacet; & ſic Ordinati, ſi in MinoribusOrdinibus conſtituti fuerint, nullô privilegiô Clericali, præſertim in criminalibus gaudent, in Majoribus verò ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Epiſcopi ſunt ipſo jure ſuſpenſi. (*m*) 4*tò* Prælati Regulares dare poſſunt Dimiſſorias ſuis ſubditis, ſed nonniſi ad proprium Epiſcopum, niſi habeant ſpeciale privilegium, à quo voluerint Epiſcopo eoſdem facere ordinari. (*n*) Si tamen Epiſcopus proprius Ordinationem non habeat, tunc expreſſâ cauſâ non habitæ Ordinationis ad alium Epiſcopum Prælati Regulares eas dare poſſunt. [*o*] Nihilominùs: Superiores Regulares reprehenſibiles ſunt, ſi ſcientes Ordinarium Diæceſis, in qua moratur quiſpiam è Religioſis ſibi ſubditis, difficilem eſſe in admiſſione ad Sacros Ordines, eundem ſubditum ſuum ad aliquantulum tempus mittunt ad Monaſterium ſui Ordinis, ſed alterius Diæceſis, habentis

(m) *Conc. Trid. loc. cit.* (n) *d. c. Cùm nullus. h. t. in 6.* (o) *Sacr. Congr. Conc.* 1596. *ut refert Schmier lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *Sect.* 2. §. 4.

bentis Episcopum faciliorem, benigrioremq; & postquam ibidem dictus subditus Religiosus susceperit Ordinem, eundem revocant ad prius Monasterium; sic, inquam, facientes Superiores Regulares incurrunt pænas statutas à S. Pio V. contra Superiores Regulares facientes suos ordinari ab alio, quàm à proprio Episcopo; quia censentur hoc facere in fraudem, ut subducant suum Religiosum ab Ordinatione proprii Episcopi. (*p*) Easdem etiam pænas incurrunt Superiores Regulares, qui Religiosum subditum suum, rejectum ab Episcopo proprio propter imperitiam, intra eadem Ordinationis tempora remittunt ad aliud Monasterium alterius Diæcesis, faciendo illum Fratrem localem ejusdem Monasterii, & curando confestim ordinari ab illo Diæcesano. (*q*) Sicut etiam, tametsi quis ex Sæcularibus Clericis possit ordinari ab Episcopo loci Beneficii, si tamen adeptus est Bene-

(p) *Brocardus à S. Nicolao. Alphab. Moral. tom. 2. verb. Ordo. cas. 2. nro* 31. (q) *Sacr. Congr. Conc. die* 14. *Martii.* 1620. *referente Riccio in Decis. Cur. Neapol. Decis.* 159.

Beneficium in fraudem, ùt ſcilicet ſe ſubducat ab ordinatione Epiſcopi originis, vel domicilii, ille eſt malè promotus, ac ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverit, irregularitatem contrahit; cæterum: an ipſa fraus interceſſerit, ex legitimis conjecturis ad præſcriptum juris eſt dignoſcendum. (*r*)

VII. Literæ Dimiſſoriæ conceduntur vel generaliter: ſcilicèt: ut quis ordinari poſſit à quolibet Epiſcopo, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente; vel ſpecialiter: nempe: ad hunc & non alium Epiſcopum. Si poſteriorî modô conceduntur, non poteſt quis ab alio ordinari, quàm à nominato in Dimiſſoriis Epiſcopo; quia unius expreſſio eſt alterius excluſio; (*s*) & ideo: ſi Epiſcopus in Literis Dimiſſoriis nominatus ob aliquod impedimentum Ordines conferre nequeat, curetq; per alium Epiſcopum eos in ſua Diæceſi conferri; hic non poterit ordinare, niſi perſonas ſubjectas illi Epiſcopo, in cujus Diæceſi, & de cujus licentia fit Ordinatio. (*t*)

(r) *Ead. Congr. die 7. 8bris. 1662.* (s) *c. Nonne. De præſumpt.* (t) *Zerola in prax. Epiſc. par. 1. vers. Dimiſſoriæ ad Ordines. in reſp. ad 5.*

VIII. Semel legitimè ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente concessæ Literæ Dimissoriæ, etiam re adhuc integra, non expirant morte, vel alia finita potestate Concedentis, nisi per illum ipsum, vel per illius Successorem, antequam sortitæ sint effectum, ex justa causa revocentur; (u) quia hæ habent qualitatem & naturam gratiæ, quæ non expirat morte Concedentis. (w) Unde: neq; Dimissoriæ concessæ à Capitulo Sede vacante in casibus à jure permissis, & superiùs specificatis, post electionem novi Episcopi expirant, nisi ille eas revocaverit; gesta enim per Capitulum tenent etiam finita Capituli potestate. (x) Pro Litteris Dimissoriis, aut testimonialibus, pro sigillo, aliave causa nihil accipi debet à Concedente, ejusq; Ministris; Notarius tamen pro singulis Dimissoriis, aut testimonialibus decimam partem unius aurei accipere potest, nisi ei sit solarium constitutum, vel consvetudo vigeat nihil accipiendi. (y)

IX.

(u) *Piasecki par. 1. cap. 1. art. 2. nro 13.* (w) *c. Decet. De R. J. in 6.* (x) *Piasecki loc. cit. Barbos. alleg. 7. nro 24.* (y) *Conc. Trid. Sess. 21. De Reform. cap. 1.*

IX. In hisce Litteris Dimissoriis exprimendum est nomen Concedentis, nomen Ordinandi, numerus & qualitas Ordinum non subdito conferendorum; si enim indefinitè exprimantur Ordines, intelliguntur Minores, quia Dimissoriæ strictè sunt interpretandæ. Præterea: exprimi debet nomen Episcopi, ad quem dimittitur Ordinandus, nisi generaliter detur licentia à quocunq; Episcopo, ritè & Canonicè promoto, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ obtinente Ordines suscipiendi. Tandem: dispensatio, si quæ sit necessaria, an detur, vel an committatur Ordinanti; testimonium super vitæ moribus, & scientiæ identitate, nisi horum examen committatur Ordinanti, sicut fieri consvevit, si Ordinandus proprium Episcopum absentem absq; notabili incommodo accedere non possit. (z) Si tamen post concessionem Dimissoriarum tantùm temporis effluxerit, quod probabiliter sufficiat, potuisse mores probatos mutari, hæ Dimissoriæ non sunt recipiendæ, nisi aliunde de continuatione bono-

(z) Barbos. cit. alleg. 7. nro 29.

rum morum constare possit; alioquin: eas recipiens, se exponeret periculo Ordinandi indignum, & non habentem requisitas qualitates. Hinc: quando Superior concedit Dimissorias subdito, qui per longum tempus fuit absens, is quò ad mores, debet habere testimonium ab Incolis, vel Ordinario Loci, in quo moratus est. (*a*) Ejusmodi itaq; ab Episcopo suis subditis concedendarum Dimissoriarum potest esse hæc vel similis

FORMULA.

CAJETANUS IGNATIUS SOŁTYK,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ.

X. Dilecto Nobis in Christo N. Minorum Ordinum Clerico; vel Majorum Ordinum Subdiacono, aut Diacono. Ut à quocunq; Antistite: (*si Literæ Dimissoriales generaliter dantur; aliàs specificè nomen & cognomen illius Episcopi, ad quem Ordinandus dimittitur, poni debet*) Catholico, gratiam & communication-

(a) *cc. DD.*

munionem S. Sedis habente, in propria vel aliena Diæcesi, de Ordinarii licentia Pontificalia exercente, futurîs quatuor temporibûs, etiam non servatîs Interstitiîs per Nos dispensatîs, [*si in iis Ordinarius voluerit dispensare*] dummodo habilis & idoneus adinventus fuerit, (*si à proprio Episcopo non fuerit examinatus*) omniaq; requisita de Jure habuerit ad Sacrum N. Ordinem ritè & legitimè promoveri possit, Authoritate Ordinaria licentiam & facultatem impertimur per præsentes Manu Nostra subscriptas & sigillô communitas. Datum N. die N. Mensîs N. Annô N.

XI. In iis verò Dimissoriis, seu (ut vocant) Obedientialibus quas Religiosi suis subditis dant, quasq; subditi in examine publico præsentare tenentur, præter ea, quæ in Dimissoriis ab Episcopo concedendis (exceptis nonnullîs, ad potestatem Superiorum Religiosorum non se extendentibûs, uti est dispensatio in Interstitiis &c.) exprimuntur, Superiores Regulares debent exprimere, an Ordinandus sit Novitius vel Professus, & in quo Conventu

ventu reperiatur de Familia assignatus. Hæ item Dimissoriæ (ùt dictum supra) debent dari ad proprium Diæcesianum, etsi Diæcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationem, ad qùemcunq; alium Episcopum; dummodo tamen ab Episcopo, qui Ordines contulerit, Ordinandus examinetur, quò ad doctrinam & dummodò ipsi Superiores de industria non distulerint concessionem Dimissoriarum in id tempus, quô Episcopus Diæcesanus vel absuturus, vel nullas Ordinationes habiturus esset. In his itaq; Dimissoriis ad alienum Episcopum datis, causa hujusmodi absentiæ Diæcesani Episcopi, & Ordinationum ab eo non habendarum exprimi debet, quodsi Superiores Regulares non fecerint; Officii & Dignitatis, seu: Administrationis, ac vocis activæ & passivæ privationis, ac aliàs arbitrio reservatas pænas incurrunt. (*b*) Ne itaq; hæ Dimissoriæ, seu: Obedientiales ob aliquos defectus à Locorum Ordinariis jura callentibus rejiciantur, ponuntur hìc Formulæ dan-

darum

(b) *Sacr. Congr. Conc. de mandato Clementis VIII. die* 15. *Martii.* 1599.

darum à Superioribus Religiosis sibi subditis Dimissoriarum.

FORMULA
Pro prima Tonsura & 4. Minoribus Ordinibus.

CASSIANUS KORCZYNSKI, Minister Provincialis Majoris & Minoris Poloniæ, Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI Conventualium. Fratri N. Ordinis Nostri Professo.

XII. Humilitas & pietas, quas profitemur, nos cogunt, & impellunt, ut selectos & probatos Juvenes, ad serviendum DEO in Nostra Religione cælitus vocatos, ad Sacra Munera obeunda, promoveri ad Ordines curemus. Cùmq; te ad habitum Religionis admissum, & in Conventu N. de Familia existentem, debita ætate, morum honestate præditum, legitimîs natalibûs ortum, sacro Chrismate delibutum, nec aliquô Canonicô impedimentô, (quod sciamus) innodatum, nec non per Examinatores Nostros idoneum repertum & admissum noverimus; tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito ad Illustrissimum &

& Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum tuum N. mittimus, Eumq; humiliter rogamus, ut tibi ſic dimiſſo & licentiato, hîs proximîs quatuor futurîs temporibûs Mensîs N. (vel temporibûs à jure ſtatutîs) Clericalem Tonſuram, Oſtiariatûs, Lectoratûs, Exorciſtatûs & Acolythatûs Ordines Minores pro neceſſitate noſtrarum Eccleſiarum, omnes ſimul (ſi ſibi expedire videatur) interſtitiîs etiam non ſervatîs, conferre dignetur. Nos gratiam hanc &c. In quorum fidem &c. Datt. in Conventu N. die N. Annô N.

FORMULA
Pro Ordine Subdiaconatûs.

LAURENTIUS FLORIANUS
CHMIELECKI,
S. Th. Licentiatus, Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium per Minorem Poloniam & M. D. L.
PRÆPOSITUS GENERALIS.

XIII. Fratri N; *&c.* Muneris Noſtri cura exigit, ut Eccleſiis noſtri Ordinis idoneos Miniſtros provideamus; cumq; te libera voluntate in noſtra Religione Profeſſum, & nunc de Familia

milia in Conventu N. assignatum, debita ætate viginti unius annorum completorum, legitimîs Natalibûs ortum, morumq; honestate prædictum, ac in Acolythatûs Ordine constitutum, in eoq; ac aliis Minoribus Ordinibus per annum probatum, & in iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, probè versatum & instructum, nec non ab Examinatoribus Nostris examinatum, & idoneum repertum ac admissum, nullôq; impedimentô Canonicô (quod sciamus) innodatum novemus, tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito ad Ill. & Rev. D. Antistitem tuum N. mittimus, & licentiamus, Eum humiliter rogantes, ut pro sua benignitate hîs quatuor proximè futurîs temporibûs, Mensîs N. Sacrum Subdiaconatûs Ordinem ad titulum Religiosæ paupertatis tibi conferre dignetur. *&c.*

FORMULA

Pro Ordine Diaconatûs.

MATTHÆUS BUYDECKI,

S. Th. Doctor, Ordinis Canonicorum Regularium SS. Sepulchri PRÆPOSITUS GENERALIS.

XIV. Fratri N. *&c.* Ut debitus

DEO

DEO cultus in Noſtris Eccleſiis per fideles Miniſtros piè & Religioſè exerceatur, eos, qui ſeſe in ſervitio Altaris, aliiſq; Sacris functionibus laudabiliter exercuerunt, ad altiores Ordines promoveri ſatagimus. Tibi ergo in Noſtra Religione libera voluntate Profeſſo, & de Familia in Conventu N. aſſignato, in Sacro Subdiaconatûs Ordine legitimè conſtituto, ac in eo per annum probè verſato, debita ætate, morumq; honeſtate prædito, nec non per Examinatores Noſtros examinato, idoneoq; reperto & admiſſo, nullôq; Canonicô impedimentô (quòd ſciamus) irretito, per præſentes cum ſalutaris obedientiæ merito licentiam concedimus, ùt proximîs futurîs quatuor temporibûs Menſîs N. ad Ill. & Rev. D. Antiſtitem tuum N. Sacrum Diaconatûs Ordinem ſuſcepturus accedas, Eum deprecantes, ut præfatum Ordinem ad titulum Religioſæ paupertatis tibi conferre dignetur *&c.* (*Si eſt diſpenſandus ſuper Interſtitiis, ſcribatur* = In Sacro Subdiaconatûs Ordine, ac ætate legitima viginti duorum annorum completorum conſtituto, ac in eo per

v. g.

v. g. ſex menſes probè verſato *&c.* Eum deprecantes, ut non ſolùm prædictum Ordinem Diaconatûs tibi conferre, ſed pro noſtrarum Eccleſiarum utilitate, & neceſſitate ſuper Interſtitiis tecum gratioſè diſpenſare dignetur.)

FORMULA
Pro Ordine Presbyteratûs.

FLORIANUS AMANDUS
de JANOWEK
JANOWSKI,
S. Th. Doctor Divina Vocatione Regii Archi-Cænobii Tynecenſis Ordinis S. BENEDICTI ABBAS, Canonicus Cathedralis Cracovienſis.

XV. Fratri N. *&c.* Cùm qui piè & fideliter in miniſteriis Eccleſiæ ſe geſſerint, ad Presbyteratûs Ordinem aſſumendi ſint; Tibi in Noſtra Religione libera voluntate Profeſſo, & de Familia in Conventu N. aſſignato, in ætate legitima viginti quatuor annorum completorum conſtituto, morum, honeſtate & religioſitate prædito, Sacro Diaconatûs Ordine inſignito, & in eo per annum integrum probè verſato, per Examinatores noſtros examinato,

&

& ad docendum populum ea, quæ necessaria sunt ad salutem, & admistranda Sacramenta idoneo comprobato, nullôq; Canonicô impedimentô (quod sciamus) irretito, tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito licentiam elargimur, ut proximîs futurîs quatuor temporibûs Mensîs N. ad Ill. & Rev. D. Diæcesanum tuum N. Presbyteratûs Ordinem suscepturus accedas, Eum rogantes; ut prædictum Sacrum Presbyteratûs Ordinem ad titulum Religiosæ paupertatis tibi conferat. *&c.* (*Si petatur dispensatio ab Interstitiis, scribatur, ut in præcedenti formula.*

XVI. Si verò Dimissoriæ ob absentiam, vel aliud impedimentum Episcopi Diæcesani dirigantur alteri Episcopo, tunc in iis addatur = Te ad Ill. & Rev. D. Episcopum N. (attentâ absentiâ à Diæcesi Ill. & Rev. D. N. Antistitis tui, de qua per præsentes indubiam fidem facimus, & attestamur) dimittimus. *&c.* = An autem hæc Superioris Regularis fides, seu testimonium de impedimento Diæcesani sufficiat, ut Episcopus non Diæcesanus Religioso debeat & possit conferre Ordines?

dines? relinquitur arbitrio Episcopi Ordinantis, (*c*) licètsi decretum Clementis VIII. illam sufficere dijudicet, ac ad Superiores privativè spectare videatur. [*d*] Tutiùs tamen in praxi esset, super eo Episcopi proprii impedimento habere fidem Tribunalis Diæcesani. (*e*)

XVII. Sicut pro Clericis Sæcularibus Ordinarius quò ad concedendas Dimissorias est proprius Episcopus, ita pro Regularibus ad eumdemmet effectum proprius Prælatus, & Ordinarius Regularis est Abbas, Provincialis, & Generalis. (*f*)

XVIII. Episcopus Ordinans culpabiliter alienos subditos sinè dimissoriis, per annum à collatione Ordinum suspenditur. (*g*) Taliter verò Ordinati ab executione Ordinum suscepto-

(c) *Passerin. De stat. homin. tom.* 3. *qu.* 189. *art.* 10. *insp.* 10. *nro* 868. (d) *Pax Jordan Lucubrat. Canonic. lib.* 3. *tit.* 6. *nro* 24. *vers. Ex tenore decreti.* (e) *Monacelli tom.* 1. *in append. ad decr. Clem. VIII. nro* 6. (f) *cit. Decr. Clem. VIII. Gobat Exper. Theolog. tract.* 8. *cas.* 11. *nro* 418. (g) *c. Eos qui. h. t. in* 6.

ſceptorum, quamdiu proprio Ordinario videbitur, ſunt ſuſpenſi; (*h*) ſunt verò ſuſpenſi ab Ordinibus tantùm ſic ſuſceptis. (*i*) Pariter: Clerici ſive Sæculares, ſive Regulares, ordinati cum Literis Dimiſſoriis falſis, ſuſpenſi ſunt, quia habentur, acſi eſſent Ordinati abſq; illis, & ſi Ordinem ſuum exercent, efficiuntur irregulares. Excuſantur tamen, ſi miniſtraverint bona fide, ſinè dolo, & id ſibi licere putantes, nam: diſpoſitio puniens aliquem præſumentem, non comprehendit eum, qui id bona fide, ignoranter, imprudens, ſeu: inadvertens facit. (*k*) Hanc ſuſpenſionis pænam non incurrunt etiam ii, qui culpabiliter ignorant talem pænam impoſitam eſſe, unde utens Dimiſſoriîs falsîs, peccabit quidem, non tamen incurret pænam ſuſpenſionis, quandocunq; ignoret, eam impoſitam fuiſſe. (*l*)

Caſus

(h) *Can. Illud. Diſt. 71. Conc. Trid. Seſs. 23. De Reform. cap. 8.* (i) *Id. Trid. Seſs. 14. De Reform. cap. 2.* (k) *Card. de Luca in Clem. 1. De privileg. qu. 39.* (l) *Navarr. cons. 3. De ætat. & qualit. &c.*

Casus.

XIX. Eugenius domiciliô & patriâ Cracoviensis, studiis vacans extra suam Diæcesim, Dimissorias obtinet, vi quarum Minoribûs initiari queat, à quocunq; potestatem hos Ordines conferendi habente. Unde ab Episcopo elongatus, eosdem Ordines ab Abbate aliquo Regulari benedicto suscipit; sed horum valor subinde illi in examine ad Sacros Ordines controvertitur.

Resolutio.

XX. Nullitatem Ordinum Minorum, ab Abbate Regulari non subdito collatorum omnino controvertendam esse, judicant alii. (*m*) Opinionis suæ fundamentum desumunt ex Concilio Tridentino, in quo statuitur, ne Abbatibus, ac aliis quibuscunq; quantumvis exemptis, liceat in posterum intra fines alicujus Diæcesis consistentibus, etiamsi nullius Diæcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Ton-

suram,

(m) *Oliva De for. Eccles. par.* 3. *qu.* 15. *nro* 50. *Barbos. par.* 2. *alleg.* 3. *nro* 11.

ſuràm, vel Minores Ordines conferre &c non obſtantibûs quibûscunq; privilegiîs, præſcriptionibûs, aut conſvetudinibûs, etiam immemorabilibûs. (n) Videtur itaq; poſt hoc Tridentini ſancitum; quòd Abbates non tantùm non licitè, ſed nec validè, ampliùs poſſunt conferre Minores Ordines ſibi non ſubditis; quia actus contra manifeſtam legis prohibitionem, ſeu: diſpoſitionem factus non tantùm eſt illicitus; ſed penitùs nullus, (o) et: quæ contra jus fiunt, debent utiq; pro infectis haberi. (p)

XXI. Sed mitiori ſententiæ ſuffragantur alii, (q) tum; quia Bonifacius VIII. ſtatuit, ut nullus Epiſcopus, vel quivis alius Epiſcopô inferior, v. g. Abbas præſumat conferre Clericalem Tonſuram homini Diæceſis alienæ abſq; licentia ſui Superioris, (r) accedente itaq; Ordinarii conſenſu Epiſcopus vel Abbas Regularis poteſt non modò validè, ſed etiam licitè ordinare alienos Diæ-

(n) Conc. Trid. Seſſ. 23. De Reform. cap. 10. (o) l. 5. ff. De legib. (p) c. Quæ contra. De R. J. in 6. (q) Fagnan. in c. Statuimus. De ſuppl. neglig. Præl. à nro 23. ad nrum 54. Pirrh. h. t. nro 49. (r) c. Nullus. h. t. in 6.

NB. Abbas n[on] Benedictus an possit Subditis suis conferre Minores Ord. … si hoc Privilegio à S. Sede donatus sit, … dicitur …

Diæcesanos. (*s*) Tum: quia Privilegium in Abbatibus saltem successu temporis & consvetudine, ac communi sensu sic interpretante est concessum ad similitudinem & normam potestatis Episcopalis; sicut itaq; potestas in Episcopis ad validè ordinandum est absoluta & universalis, ita quô ad hoc similis erit potestas Abbatibus per Privilegium concessa. (*t*) Tum demum quia Concilium Tridentinum universalem potestatem olim Abbatibus competentem restrinxit tantùm certô modô in ordine ad ejus usum, idq; per simplicem prohibitionem absq; actûs irritatione (*u*) quare Abbates poterunt adhuc validè etiam post Tridentinum personis non subditis conferre Ordines Minores. (*w*)

XXII. Iisdem ex monumentis adversantium fundamento prorsus satisfit. Concilium enim Tridentinum, quod fundamentum controversiæ est, nec non & Declarationes quædam

(s) Engel. *De privileg. Monast. priv.* 49. *in annot. ad nrum* 4. (t) *Streinius par.* 1. *tit.* 16. §. 3. *nro* 3. (u) *Sacr. Congr. Conc. ap. Fagnan. in d. c. Statuimus. nro* 12. 13. & 39. (w) Fermos. *De ætat & qualit. &c. qu.* 1. *nro* 2.

consuetudine Ordo. S. Eggius fuerit in mora illud benedicendi. Mora intelligitur, si ter petierit.
Const. Benedicti XIII. = Commissi =

Cardinalium Sacri Concilii Interpretum loquuntur de Abbatibus nón benedictis, privilegiô Pontificis destitutis, aut certò independenter à speciali commissione Ordinarii. (*x*)

§ VI.

Qualitas Ordinandorum quò ad alia requisita.

I. Præter superiùs dicta requisita in Ordinandis ad ritè suscipiendos Ordines, sunt etiam nonnulla alia, sinè quibus susceptio Ordinum aut prorsus invalida, aut solùmmodò illicita est. Qui itaq; vult validè ordinari, debet esse *1mo* Masculus, non tam ex jure antiquo scripto, quàm ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ declarat institutionem Christi. *2dò* debet esse baptisatus, nam: character Ordinis necessariò supponit characterem Baptismi, (*y*) qui est janua omnium Sacramentorum. [z) *3tiò* non debet esse positivè invitus, sed si adultus est, debet habere voluntatem, seu: intentio-

nem

(x) *Const. conciliar. à S. Carolo Borom. in Conc. Mediol. V. rel. à Tambor. tom. 2. disp. 2. qu. 7.* (y) *c. Veniens. De Prebs. non bapt.* (z) *c. Per Cathechismum. De cognat. spirit. in 6.*

nem saltem habitualem, quâ aliquando voluit, vel petiit Ordinem, eamq; voluntatem postea retractavit; [*a*] tum: quia Sacramentum Ordinis non est necessitatis, sed voluntatis, ideoq; debet liberè postulari ab eo, qui potest postulare; & si non potest, censetur talis positivè repellere Sacramentum; tum quia Sacer Ordo habet annexum votum continentiæ, quod voluntarium ac liberum esse debet; juxta illud = De Virginibus præceptum Domini non habeo. = (*b*) Aliud est de infantibus, in quibus non requiritur intentio suscipientis, sed sufficit intentio Ecclesiæ, ùt dictum est supra. (*c*)

II. Ut verò licitè quis ordinetur requiritur *1mò*. ut Ordinandus priùs Sacramentum Confirmationis suscipiat; sine quo validè quidem Ordo conferri potest, nam: Ordo non necessariò supponit characterem Confirmationis; (*d*) illicitè tamen confertur. (*e*) *2dò* ùt sit in statu gratiæ per confessio-

F2

(a) *c. Majores. De Bapt.* (b) *1. Cor. 7.* (c) *hìc* §. 1. *nro* 12. (d) *Bonacin. tom.* 1. *De Sacr. Confirm. disp.* 3. *qu. un. pun.* 4. *nro* 4. (e) *Conc. Trid. Sess.* 24. *De Reform. cap.* 4.

fessionem, aut per contritionem, nisi fortè suscipiens Ordines, simul etiam suscepturus sit Sacram Eucharistiam, tunc enim, si habet conscientiam peccati mortalis, præmittere debet Sacramentalem Confessionem. (*f*) *3tiò*. ut non sit irretitus aliquâ censurâ, præcipuè: excommunicatione, quia hæc privat susceptione Sacramentorum. (*g*) *4tò*. ùt non sit irregularis quacunq; irregularitate orta ex defectu, vel ex delicto; cujusmodi irregulares sunt ii, quos sequentes versus comprehendunt.

Infamis, demens, vitiatus, fæmina, servus,
Infirmus, novus, ignorans, baptismate peccans,
Ordineve, occidens, mutilans, bigamusq; nothusq;
Hæresis, obstrictus, pauper, puèr exulat Aris.

5tò ùt servet præscripta à Jure Interstitia, quæ dicuntur id tempus, quod debet intercedere à susceptione unius Ordinis ad alterius susceptionem. (*h*) Porro: Ordines etiam Minores conferendi sunt per temporum Interstitia, seu: intervalla, ut scilicet Ordinandi accuratiùs edoceri possint, quantum

(f) *Fornar. De Ordine cap.* 3. *ad fin.* (g) *Navarr. cap.* 25. *nro* 69. *Suarez. tom.* 5. *disp.* 31. *sect.* 1. *nro* 57. (h) *Can. In singulis. Dist.* 77. *Conc. Trid. Sess.* 23. *De Reform. cap.* 11. 13. & 14.

tum sit Ordinis, quem suscipiunt, pondus & dignitas; ac prius se in suscepto Ordine exerceant, quàm ad alium altiorem ascendant, & ita in iis, cum ætate vitæ meritum, doctrinaq; major accrescat. Verùm; in Minoribus Ordinibus certa interstitia non sunt definita, sed id totum absolutè judicio Episcopi relinquitur, prout Ei magìs expedire videbitur; [i] prout in nostro Regno Poloniæ passim omnes Ordines Minores cum prima Tonsura, una die non servatîs interstitiîs conferuntur; quemadmodum & jure antiquo id practicabatur. (k)

III. Subdiaconatus simul cum Minoribus Ordinibus eidem conferri non potest, (l) idq; Ecclesiarum consvetudo confirmavit, quæ vim legis obtinet; quodsi tamen alicubi particularis consvetudo sit, ut Subdiaconatus eodem die simul cum Minoribus conferatur, ea reprobanda non est, cùm illa per Concilium Tridentinum damnata, aut sublata non sit; quod revocat solùm

(i) *Sacr. Congr. Conc. die 31. Martii. 1597.*
(k) *c. Cùm H. De eo, qui furt. Ordin. susc. Fagnan. in c. De eo autem. h. t. nro 26. Sylvester in Summa verb. Ordo. qu. 7.* (l) *d. c. Cùm H. Conc. Trid. l. s. c.*

lùm privilegia contraria, non autem derogat conſvetudinibus. (*m*) Hinc: 113. qui omnes Minores Ordines ſuſcepit die Veneris quatuor temporum, poteſt die Sabbathi immediatè ſequente ſuſcipere Subdiaconatum; (*n*] nam: cùm conſvetudine potuit introduci, ut uno die eidem conferantur omnes quatuor Minores cum Subdiaconatu; multò magìs potuit induci, ut duobûs diebûs aliàs tamen licitè conferantur. (*o*)

IV. Ad duos Sacros Ordines nec poteſt, nec debet quis uno eodemq; die admitti. [*p*] nec Regularibus duo Sacri Ordines eodem die conferri poſſunt, non obſtantibûs quibûscunq; privilegiís. (*q*) Imò: neq; continuatô jejuniô duobûs diebûs immediatè ſequentibûs licet eidem conferre duos Ordines. (*r*) Nec Archi-Epiſcopus poteſt diſpenſare in eo, ut duo Ordines Majores eidem uno die conferantur. (*s*)

V. Inter Majorum, ſeu: Sacrorum Ordi-

(m) *Navarr. in Manual. Prælat. cap.* 25: *nro* 7. (n) *Pirrh. h. t.* (o) *Fagnan. in d. c. De eo autem. nro* 41. (p) *c. Dilectus. h. t.* (q) *Conc. Trid. loc. cit.* (r) *c. Literas. h. t.* (s) *d. c. Dilectus. h. t.*

tra. Ergo diebus Dominicis non licet in Subdiaconum ordinare. R. Aff. Præter Summum Pontificem.

us. An in vigilia Pentecostes Sacros Ordines liceat conferre. R. Neg. Præter Summum Pontificem. Vide c. 3. de Temp. Ordinat.

us. Consuetudo in quibus Ecclesiis Scotiæ et Walliæ fuit quod in Dedicationibus Ecclesiarum vel Altarium extra quator tempora Clerici ad Sacros Ordines promovebantur. R. Papa, quod talis consuetudo Ecclesiasticæ institutioni est inimica. Et tales in Eccla Romana deponerentur, et Ordinatores Authoritate ordinandi privarentur.

s. Quidam Epus contulit Sacros Ordines extra quatuor tempora, die quo non debuit. Quid Juris? R. Debet puniri Canonica disciplina. sc. privetur potestate conferendi Ordines, et ordinatis interdicatur executio Ordinum, donec per Sedem Aplicam dispensatum fuerit cum eis.

us. Aliqui Sacros Ordines receperunt extra tempora. Q. Utrum characterem receperunt? R. Affr. Quia tempus non est de substantia Ordinis. Sic nec ætas impedit characterem. Paritas. de Baptismo, qui tenet licet à quocunque conferatur, licet à Judæo vel Pagano recipi non debeat.

8

Ordinum ſuſceptionem, certum inter-ſtitium temporis, Sacri Canones requi-runt. Nam Subdiaconatus nonniſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradûs Minorum Ordinum conferendus eſt; ſimiliter: promotus ad Subdiaconatum ſi per annum ſaltem in eo verſatus non fuerit, altiorem gradum aſcendere non eſt permittendus; deniq; promo-tus ad Diaconatum, antequàm ſaltem per annum integrum in eo miniſtra-verit, ad Sacerdotium admitti prohi-betur, niſi ob Eccleſiæ utilitatem aut neceſſitatem aliud Epiſcopo videatur. (*t*) Porro: annus integer, qui inter unius & alterius Ordinis ſuſceptionem intercedere debet, non eſt Mathema-ticè computandus, prout ſcilicèt com-plectitur duodecim Menſes completos, ſed moraliter; prout continet quatuor interſtitia, à Quadrageſima nempè ad Quadrageſimam, à Pentecoſte ad Pen-tecoſten *&c.* vocaturq; annus Eccle-ſiaſticus. (*u*) VI.

(t) *Conc. Trid. d. Seſſ.* 13. *&* 14. (u) *Barbos. De offic. & poteſt Epiſc. alleg.* 18. *nro* 2. *Molfes in Summ. tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 14. *nro* 8. *Fornar. De Sacram. Ordin. cap.* 3. *nro* 6. *& Sixtus V. ex Sent. Sacr. Congr. Conc. ſic declaravit.*

VI. Dispensare in dictis interstitiis potest Episcopus cum propriis subditis, (w) non verò cum alienis, seu: alteri Episcopo subjectis, nisi id illi ab Ordinario Ordinandi in Literis Dimissoriis expressè concessum fuerit; quia nullus meliùs & congruentiùs potest in hujusmodi interstitiis dispensare, aut saniùs ea de re judicare, quàm proprius Episcopus, qui scit & cognoscit utilitatem & necessitatem Ecclesiæ, in qua talis Ordinandus residere debet. (x) Potest etiam Episcopus cùm Religiosis, etsi exempti sint, dispensare in interstitiis temporum, quia hæc dispensatio est reservata Episcopo. Imo: & Capitulum Cathedrale Sede vacante in interstitiis dispensare potest, in iis casibus, in quibus licentiam ordinandi, seu: Ordines suscipiendi dare potest suis Diæcesanis, quia succedit in iis, quæ ad ordinariam Episcopi jurisdictionem pertinent. (y) Pariter: & Vicarius Episcopi, habens generale mandatum, potest absente Episcopo remittere interstitia. (z)

VIII.

(w) *Conc. Trid. loc. cit.* (x) *Pirrh. h. t. nro* 89. (y) *Piasecki in Prax. Episc. par.* 1. *cap.* 1. *art.* 8. *nro* 5. (z) *Sacr. Congr. Conc. die* 5. *Martii.* 1597.

VII. Ad dispensandum in interstitiis major requiritur causa in promotione à Minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, quàm ab hoc ad Diaconatum, nam: in hac promotione res tota committitur absolutè judicio Episcopi, ita ut dispensare possit ex quacunq; causa, in priore verò requiritur necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, arbitriô Episcopi determinanda; idq; ex eo, quia in promotione à Minoribus Ordinibusad Subdiaconatum mutatur status, non item à Subdiaconatu ad Diaconatum, cùm jam sit mutatus; & Ordinandi pro Subdiaconatu debent benè probari, utrum sperent se continere posse? (*a*) Rursus: major & gravior causa requiritur ad dispensandum in interstitiis, in promotione à Diaconatu ad Presbyteratum, quàm in ascensu ad alios Ordines inferiores, nam: ad dispensandum in interstitiis inter Subdiaconatum & Diaconatum requiritur & sufficit solùm arbitrium Epi-

(a) *Pastor. De Benef. Eccles. lib. 3. tit. 42. nro 9. Paulut. in Jurispr. Sacr. tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 7. nro 7. vers. Perpetua. Pax Jordan in Elucubr. Canon. tom. 1. lib. 3. tit. 6. nro 425.*

Episcopi, seu: quæcunq; causa; inter inter Minores Ordines & Subdiaconatum requiritur necessitas, aut utilitas Ecclesiæ disjunctivè; in dispensatione verò interstitiorum inter Diaconatum & Presbyteratum requiritur necessitas & utilitas copulativè, ita; ut non sufficiat sola utilitâs, sed exigatur etiam necessitas; (*b*) cùm Sacerdotii ministerium sit omnibûs reliquîs majus & sublimius. Non tamen requiritur causa necessitatis & utilitatis publica & extraordinaria, sed sufficit talis, quæ prudenti judiciô Episcopi spectatîs circumstantiîs loci & temporis, ac conditione personæ Ordinandæ hîc & nunc sufficiens judicatur. (*c*) Ejusmodi causa sufficiens dispensandi in interstitiis à Diaconatu ad Presbyteratum censeri potest eminens doctrina, vel morum probitas, vel alia Ordinandi merita; præsertim: cùm Ecclesia talibûs quoq; Ministris indigeat. (*d*) Porro: causæ majores, ob quas potest concedi indultum recipiendi Ordines non servatîs interstitiis sunt: *1ma* Beneficium exigens Ordinem Sacerdo-

(b) *Conc. Trid. d. Sess.* 23. *cap.* 14. (c) *Barbos. alleg.* 18. *nro* 5. (d) *Pirrh. l. s. c.*

cerdotalem, vel Capellania perpetua, cui quis per se ipsum inservire debet. 2da. Penuria Sacerdotum in iis partibus. 3tia. Patris, vel Matris consolatio, dummodo Pater aut Mater quinquaginta ætatis annos excedat, & Ordinandus per triennium in Clericali statu sit versatus. 4ta. Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, Referendariatus utriusq; Signaturæ; aut Familiariatus Summi Pontificis. 5ta. Doctoratus in Theologia, vel in Utroq; aut saltem in Canonico Jure, aut studium dictarum scientiarum per triennium. 6ta. Excessus ætatis supra vigesimum sextum annum, dummodò per triennium in habitu Clericali sit versatus ille, qui petit indultum. (e] Ob alias causas, nimirum: Nobilitatis, aut quia quis est adscriptus alicui Ecclesiæ, vel quia habet onus Missarum non proveniens ex Beneficio; concedi non debent prædicta indulta. (f) Quod si Episcopus Clericum

(e) *Sacr. Congr. Conc. die* 7. *Aug.* 1627. *teste Barbos. in Coll. Bull. verb. Parochus. fol.* 534. *Const. Innoc. XII. quæ incipit* = *Speculatores* = &c. (f) *Corrad. in Prax. Dispensat. Apostolic. lib.* 4. *cap.* 4. *nro* 4. 5. & 6.

ricum intra anni curriculum ad Ordinem Sacrum promoveat, sciens illum annum nondum elapsum esse, hôc ipsô censetur tacitè cum ipso dispensare in interstitiis temporum. (g)

VIII. Episcopus, qui eodem die, vel duobûs continuatô jejuniô, immediatè sequentibus, duos Ordines Sacros alicui confert, suspendendus est à collatione utriusq; Ordinis; qui verò suscipit, ab Executione posterioris solùm illegitimè suscepti tamdiu suspensus est, donec à Summo Pontifice absolutionem impetraverit. (h) Episcopus verò, qui ordinavit subditos non servatîs temporum interstitiîs, à jure præscriprîs, nullam pænam incurrit; (i) neq; sic Ordinati absq; expressa, aut tacita dispensatione, aliquam censuram, vel irregularitatem contrahunt, quia nulla pæna, aut censura jure communi, nec per Concilium Tridentinum decreta est, quamvis sic Ordi-

(g) *Barbos. loc. cit. nro 7.* (h) *c. Literas. h. t. Const. Pii II. quæ incipit = Cùm ex Sacrorum. &c. Suar. disp. 1. De Censur. sect. 1. nro 40. Barbos. alleg. 14. nro 11. Layman lib. 5. tract. 9. cap. 10. nro 10.* (i) *Navarr. lib. 1. Cons. 4. Barbos. alleg. 18. nro 11.*

Ordinatus puniri possit à suo Ordinario aliâ pænâ arbitrariâ, tanquam transgressor Canonis. (*k*)

Casus.

IX. Fridericus Pastor Evangelicus in familiari colloquio sustinebat fæminas more sectæ suæ capaces esse Ordinis suscipiendi, quod illi Felicianus Sacerdos Catholicus per omnia negabat.

Resolutio.

X. Dicebat Fridericus *Imò*. quòd in Christo JESU non est Masculus, nec fæmina; (*l*) hinc inferebat, in Christi quoq; Ecclesia, ejusq; Ministris non debere esse discrimen masculi à fæmina. 2*dò*. In veteri testamento fæminæ fuerant Prophetissæ, nam Maria Soror Moysis prophetavit; (*m*) sicut & in novo Anna filia Phanuel; (*n*) si ergo capaces sunt prophetiæ, etiam Ordinis videntur esse capaces, cùm per prophetias aliîs quôdammodô superiores existant, eosq; docere possint, quæ per prophetiam didi-

(k) *Zerol. in Prax. Episc. par. 2. verb. Ordo* §. 8. *pag.* 79. *Sayr. h. t. decis.* 56. (l) *Galat.* 5. (m) *Numer.* 12. (n) *Luc.* 2.

didicerunt. 3tiò. Postquam S. Paulus docuit, quales essent Diaconi ad ministerium Ecclesiæ eligendi, scilicèt: pudici, non bilingves, *&c.* statim subjicit mulieres debere quoq; esse pudicas, (*o*) indicans eas ejusdemmet electionis esse capaces. Quòd ampliùs confirmavit idem Apostolus dicens = Vidua eligatur non minùs 60. annorum, quæ fuerit unius Viri uxor = (*p*] sicut etiam de Diacono dixit, ne eligatur nisi sit unius uxoris vir. (*q*) 4tò tempore nascentis Ecclesiæ non solùm viduæ, sed etiam Virgines eligebantur, quæ in Templo ministrabant. [*r*) Imò: S. Paulus scribens Romanis ait = Commendo vobis Phæben Sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris. [*s*) Jus quoq; Canonicum Presbyterarum & Diaconissarum mentionem facit. (*t*)

XI. Catholicus verò Sacerdos in patientia & silentio, [ùt semper nostri assolent) exaudito Pastoris Evangeli-

(o) 1. *Tim.* 3. (p) 1. *Tim.* 5. (q) 1. *Tim.* 3. (r) *Conc. Chalcedon. Act.* 15. *cap.* 16. *Synodus Græcorum in Trullo. Can.* 48. (s) *Rom.* 16. (t) *Can. Presbyter. Can. Mulieres. Dist.* 32. *Can. Diaconissam.* 27. *qu.* 1.

gelici diſcurſu, negavit per omnia fæminas capaces eſſe Ordinis ſuſcipiendi, tum ex perpetua Eccleſiæ traditione, confirmata continua praxi ejusdem veræ Eccleſiæ, quæ nec Beatiſſimæ Virgini, licètſi omnium mulierum Sanctiſſimæ, nec aliis Sanctis mulieribus aliquem unquam Ordinem contulit; tum ex effectû & natura Ordinis, qui eſt conſtituere Ordinatum in gradu ſuperiore & eminentiore inter reliquos fideles, cum poteſtate eos docendi, ipſisq; Sacramenta adminiſtrandi, cujus ſuperioritatis fæminæ jure Divino incapaces ſunt, juxta illud S. Pauli = Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent, turpe enim eſt mulieri, loqui in Eccleſia. (*u*)

XII. Ita rem ſuam egit Catholicus Sacerdos, ſed ne Evangelicum Paſtorem tutum, ſecurumq; in ſua ſententia reliquiſset, ad fundamenta opinionis illius ſic reſpondit. Et quidem *imò*. In Chriſto JESU, Ejuſq;

lege

(u) 1. *Cor.* 14.

lege nullum est discrimen inter masculum & fæminam, quò ad justificationem per Baptismum; & gratiam ibidem communicatam; de hoc enim loquitur S. Paulus, ût patet ex verbis paulò ante præmissis ⁒ Omnes enim Filii Dei estis per Fidem, quæ est in Christo JESU; quicunq; enim baptiptizati estis; Christum induistis. ⁒ & statim subjungit ⁒ Non est Judæus, non servus, neq; liber, non est masculus, nec fæmina *&c.* ⁒ De Ministris autem Templi eorumq; Ordinibus nihil ibi S. Apostolus egit; malè itaq; textum S. Pauli intellexit Evangelicus, malèq; eum in suam sententiam traxit. 2*dò* Dici absq; labe falsitatis nequit, quòd Propheta ratione prophetiæ in alios potestatem habeat, eosq; ex officio docere possit, licèt non prophetas in eo dono excedat, eosq; instruere possit in iis, quæ per prophetiam didicit. E contra verò Ordinatus ratione Ordinis & aliîs superior est, & eos ex officio docere potest. Quamvis igitur nonnullæ fæminæ donum prophetiæ habuerint, inde tamen inferri nequit, quod habuerint superiori-

rioritatem super alios, quod eos docere potuerint, ac quod fuerint, sintve capaces suscipiendorum Ordinum. *3tiò.* Verùm est, quòd in initio nascentis Ecclesiæ viduæ eligi consveverant, non quidem: ùt ministeria Ordinis exercerent, sed ùt votum castitatis emittentes, reditibûs & eleemosynîs Ecclesiæ alerentur. Quare ibi monet Apostolus, ne hæ eligantur adolescentiores, sed postquàm assecutæ fuerint 60. ætatis annos, idest: ne in hunc statum vidualem, cui votum continentiæ annectebatur, cooptentur in tenera ætate, ne fortè postquàm iîs reditibûs & eleemosynîs sustentatæ fuerint, primam fidem, idest: promissionem continentiæ irritam faciant, nubentes. *4tò.* Illæ mulieres tempore antiquo vocabantur Presbyteræ & Diaconissæ, vel quia earum mariti facta thori separatione ordinati sunt in Diaconos, Presbyteros, & Episcopos (w) vel quia illæ in Templo Diaconis, aliisq; Ec-
G clesiæ

(w) *Synodus II. Thuronica. Can.* 13. 14. *&* 20. *Conc. Antissiodorense. Can.* 21. *&* 22. *Coninch. disp.* 10. *dub.* 10. *nro* 96. *Vasqu. disp.* 245. *cap.* 2. *nro* 3. *Henriqu. lib.* 14. *cap.* 8. *nro* 6.

clesiæ Ministris ministrabant in iis, quæ ab ipsis erant mandata, [x] unde non consecrabantur, ut ex proprio officio & munere ministrarent, sed ut ex imperio aliorum inservirent, ac proinde: nullum Ecclesiasticum Ordinem recipiebant. (y) Earum autem ministerium consistebat in sequentibus officiis. *1mò.* Competebat illis instruere mulieres in iis, de quibus cum Diaconis & Episcopis agere deberent. (z) *2do* Assistebant ad Templi ostium, quô mulieres ingrediebantur, ut dignas admitterent, & indignas excluderent. (a) *3tiò.* Abstergebant mulieres, quarum facies in Baptismo Oleô Sanctô ungebantur, ne à Viris aspicerentur. (b) *4tò* Levabant de Sacro Fonte mulieres baptizandas. (c) *5tò* demum Ad domos mulierum mittebantur ab Episcopo, cùm aliquod munus ibi erat peragendum (d) En! cur nonnullæ mulieres vocabantur Diaconissæ, Pre-

(x) *Th. Schmitz h. t. qu.* 2. *nro* 1. (y) *S. Epiph. hæresi* 79. *Valentia tom.* 4. *disp.* 9. *qu.* 4. *pun.* 1. *ad fin.* (z) *Clemens Romanus lib.* 2. *Constit. cap.* 26. (a) *Id. cit. lib. cap.* 57. (b) *Id. lib.* 3. *cap.* 15. (c) *Id. ibid. cap.* 16. (d) *Id. d. cap.* 15.

Presbyteræ, imò & Episcopæ; non verò quia aliquem Ordinem susceperant; quod quia à primordiis nascentis Ecclesiæ non admittebatur, neq; nunc admitti potest, aut debet.

§. VII.

Qualitas Ordinandorum quò ad examen.

I. Examen, quod in Jure vocatur Scrutinium, nil aliud est, quàm inquisitio Ordinandorum facta ab eo, ad quem spectat. Estq; triplex: unum remotius, alterum ante ipsam Ordinationem, ultimum in ipsa Ordinatione.

II. Ubi usus adhuc est, examen remotius præmittitur Ordinationi sæcularium in Parochia propria; de quo diximus supra. (*e*) Ubi verò talis inquisitio non est in usu, (quemadmodùm apud nos in Polonia defactò non practicatur) illius locò sunt testimonia Parochorum & Professorum. (*f*) Quò verò ad Regulares, in quibus talis inquisitio necessaria non est, sunt testimonia Prælatorum Regularium. (*g*)

III. Proximè ante Ordinationem

(e) *hic* §. 3. *nro* 1. (f) *Engel. h. t. nro* 1. *Pirrh. h. t. nro* 2. (g) *Gallemart in Declar. ad cit. loc. Conc. Trid.*

præmittendum eſt examen, quod Archidiaconus, ad quem de jure communi hoc examen ſpectat, (*h*) intimare debet hac vel ſimili Literarum Innoteſcentialium.

FORMULA.

JOSEPHUS

CHYCZEWSKI,

Utriuſq; Juris DOCTOR, Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis ARCHIDIACONUS.

Univerſis & ſingulis ad quoſcunq; Minores ſcilicet, & Sacros Majores Ordines aſpirantibus ſalutem in Domino.

IV. Quoniam Eccleſiaſtici Statûs officium & dignitatem, eorum præcipuè, quos ad cooperationem & ſalutem animarum Divina diſpoſitione vocatos, omnis poſſibilis & requiſita undequaq; decet & concernit perfectio, non ſupponi tantùm, ſed probari SS. Canones opportere præcipiunt: Et licèt multa de Ordinandorum diſpoſitione ubivis cuiq; præſtò eſſe non dubitamus, nonnulla tamen particularibus ex cauſis, ad præliminaria Examinis generalis opportuna addere

(h) *Ad hæc De offic.*

dere vel innovare, congruum esse arbitramur. Proinde: ante omnia, omnibus Ordinandis notum facimus. Quia Nos Divina suffragante Gratia pro Officii Nostri Archidiaconatûs munere Examen publicum Die N. Mensis & Anni currentium inchoabimus, illudq; sequentibûs diebûs continuabimus, pro quo examine aspirantes (*hic ponatur dies, quô Clerici sæculares, & dies, quô Regulares pro dicto examine comparere debent, ubi etiam ponitur & hora diei*) Promovendi in decenti habitu, capillìs tonsîs, in Cantu Gregoriano benè & sufficienter exercitati, Literas legitimi ortûs cum subscriptione sigilli, bonæ conversationis & morum, testimonii super exercitio sui Ordinis, ac vitæ spiritualis, Provisionis juratæ, aliàs: Institutionis Canonicæ, vel Inscriptionis Patrimonii, Obedientiales Professionis emissæ, insuper: studii diligentiæ, aliasq; ex præscripto Concilii Tridentini, & SS. Canonum, Constitutionum Prôvincialium requisitas habentes, servatîs Interstitiîs [nisi aliter cum non servantibus dispensatum fuerit]

tri] compareant, seq; prædicto Examini subjiciant, super genere, Persona, ætate, Institutione, moribus, Fide & doctrina, alias pro diversitate Ordinum fideliter & competenter responsuri, ex universa Theologia Morali, cujus studium tam in Seminariis, quâm in Religiosorum Communitatibus diligenter pertractandum seriò recommendamus. Jam veró ad inscriptionem ante duos dies inchoandi Examinis conveniant, demandamus. In quorum fidem *&c.* Datum N. Annô N. Die N. Mensîs N.

V. Adveniente Examinis tempore Archidiaconus in eo adscitîs sibi aliîs Sacerdotibûs, Virîs prudentibûs, Legis Divinæ peritis, & in Ecclesiasticis functionibus exercitatîs, Ordinandorum mores, doctrinam, genus, personam, ætatem, institutionem, Fidem, irregularitates, si quibûs non sunt innodati, aliasq; qualitates, quas hìc per totum recensuimus, diligenter investigare & examinare debet. (*i*) Ii veró Viri, quos sibi ad faciendum hoc examen Archidiaconus adsciverit, cavere

(i) *Conc. Trid. loc. cit. Can. Nullus Dist.*24.

vere debent, ne aut favoris gratiâ, aut cujuscunq; muneris cupiditate illecti à vero devient, ne indignos, & minùs idoneos ad Sacros Gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent. (*k*) Episcopus tamen potest hoc examen remittere, si aliunde habeat sufficientem notitiam de idoneitate Ordinandi, sed non debet id facere ordinariè. (*l*)

VI. In hoc examine, libertas Ordinandi probatur per publicum testimonium Magistratûs loci, unde ille oriundus est. Natales, ætas, Fides probari solet per testimonium proprii Parochi, manibûs ejusdem Parochi loci, ac Decani Foranei subscriptum, & utriusq; sigillô munitum, ùt praxis Diæcesis Nostræ Cracoviensis fert. Cujus quidem testimonii contextus ille debet esse, prout reperitur in Libro Baptizatorum, nihil addendo, vel minuendo, neq; etiam mutando, idq; sub nullitate hujus testimoni, quod Parochi requisiti ab Ordinandis, vel ab aliis ex dicto Metrices Baptizatorum Libro edere possunt in hunc modum =

FOR-

(k) *Can. Quando. d. Dist.* 24. (l) *Sacr. Congr. ap. Gallemart. loc. cit.*

FORMA
Testimonii Baptismi.
FRANCISCUS ZIĘBINSKI,

Utriusq; Juris DOCTOR, Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ DECANUS, Parochialis Andreoviensis PRÆPOSITUS, Consistorii Generalis Cracoviensis ACTUARIUS.

VII. Universis & singulis, quorum interest, aut interesse poterit, præsentibûs Literis notum facio reperiri in Libro Metrices Baptizatorum Ecclesiæ Parochialis N. testimonium tenoris sequentis. ⇉ Annô N. die N. (*hic ponatur annus & dies Baptismi infantis*) R. N. (*hic ponatur nomen & cognomen Baptizantis*) Curatus, vel Vicarius ejusdem Ecclesiæ Parochialis N. baptizavit N. (*hic exprimatur nomen Baptizati*) GG. vel HH. vel LL. NN. (*hic ponantur nomina & cognomina Patris & Matris Baptizati*) Conjugum Legitimorum, Patrini fuerunt NN. (*hic inserantur nomina & cognomina Levantium de Sacro Fonte.*) In quorum fidem præsentes Literas manu propria subscripsi, & sigillô Ecclesiæ meæ Parochialis communivi Datt. N. Annô N. Die N.

Quod

Quodsi contigerit, ut sæpiùs contingit, infantem baptizatum fuisse domi, cærimonias verò Baptismi absolutas esse in Ecclesia, in dicto Baptismi testimonio scribatur = Annô N. die N. R. N. (*hic scribatur nomen Baptizantis domi*) baptizavit domi ob imminens periculum (*vel si alia de causa, hic exprimatur*) NN. ac tandem R. N. supplevit in Ecclesia cærimonias. *&c.*

Si verò ob aliquam justam causam, (v. g. si ad Patriam ab hostibus occupatam aditus non pateret, aut si Libri Metrices igne comburerentur, vel casu aliquo perirent, si negligentiâ Parochi non conscriberentur) tale testimonium haberi non possit; tunc natalis ætas, ac Fidei Ordinandi probatio probabiliter per testes, aut famam admitti potest.

VIII. Mores & vitæ probitas Ordinandi probanda est per Literas testimoniales vel Prælati, sive Religiosi Superioris, si Ordinandi sint Religiosi, vel Decani, si in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata versentur ii, qui Ordines petunt, vel Rectoris, Magistri, aut Præfecti, si in aliqua Academia, Gymnasio, vel Seminario degant; vel deniq;

niq; Parochi. Doctrina non per testes & famam, sed per actuale examen probari debet, quia: cùm hæc sit quid extrinsecè adventitium, & accidentale, non præsumitur alicui inesse. (*m*) Immunitas à censuris & irregularitatibus non aliter probatur, quàm per assertionem Ordinandi, cùm: nemo præsumatur deliquisse, nisi id ostendatur. Hinc: si v. g. Mater habens unicum filium, volentem indui habitu Clericali, ut eum ab hac intentione removeret, diceret coram Examinatoribus eundem esse illegitimum, adeoq; incapacem Ordinis suscipiendi, hi dicto Filio se esse legitimè natum dicenti potiùs, quàm Matri illius illegitimitatem thori alleganti credere debent; neq; ipse filius, qui communiter censetur natus esse ex legitimo Matrimonio, fidem Matri suæ eo in casu præbere tenetur, etiamsi Mater id cum juramento affirmaverit, quia alleganti suam turpitudinem mulieri cum præjudicio tertii, non est danda fides. (*n*) Deniq; de corporis qualitatibus per experimentum sensuum cognitio quærenda est.

IX.

(m) *Barbos. De offic. & potest. Episc. alleg.* 10. *nro* 17. & 18. (n) *DeLugo disp.* 13. *sect* 3. *nro* 62.

IX. Hi modi examinandi Ordinandos sufficiunt tunc, quando hi sunt promovendi ab Episcopo originis, nec alibi contraxerunt domicilium; quia si Ordinandi sunt ab Episcopo domicilii, & à propriæ Diæcesis loco discesserunt in ea ætate, qua potuerunt alicui impedimento Canonico obnoxii effici, tunc Episcopi etiam originis testimoniales Literas de suis natalibus, ætate, & vitæ moribus afferre debent. Sicut pariter: quia Religiosi Ordinandi testimonium super prædictis qualitatibus afferre pro examine debent, quod non sit antiquius duobûs mensibûs à die examinis computandis, ideo si Religiosus Ordinandus diutiùs à Monasterio absfuerit, hoc testatum afferat ab eo Monasterii Superiore, in quo proximè commoratus est. Qui verò ad Ordines promovendi sunt ab Episcopo ratione & titulo Beneficii, in illius Diæcesi obtenti, si à proprio Episcopo Clericalem Tonsuram jam acceperunt, debent ante ulteriorem Ordinum susceptionem testimoniales Literas proprii Episcopi tam originis, quàm domicilii, super suis natalibus,

ætate,

ætate, moribus, & vita Episcopo ordinaturo exhibere, quæ in Actis illius Curiæ conservandæ sunt. (*o*)

X. Qui sine præmisso examine sunt ordinati, si ignoti sint, deponi debent, etiamsi aliàs digni fuerint, (*p*) id ipsum dicendum est de notis quidem, sed indignis, (*q*) multò autem magis deponendi sunt ignoti, & indigni. Quod si verò noti sunt & digni, non sunt deponendi, licètsi absq; præcedenti scrutinio fuerint ordinati. (*r*) Quòd si autem quispiam Ordinandus non fidens suæ scientiæ, roget alterum, ut locò illius examen subeat, ac tandem rogans succedente Ordinationis die se sistat, eôq; non attentô, quod Episcopus Ordinans per Archidiaconum sibi assistentem declaret, quòd nullum velit ordinare, qui non fuit in examine, propter multitudinem Ordinandorum non agnitus inter reliquos accedat, recipiatq; Ordinem: ille sic sine examine Ordinatus, suspensus est ab executione Ordinis, in qua suspensione potest

(o) *Innoc. XII. in sua Const. Speculatores. sup. cit.* (p) *Can. Si quis. Dist.* 24. (q) *Can. Si quis Dist.* 81. (r) *Can. Nullus. d. Dist.* 24.

test Episcopus dispensare, nisi sub pœna excommunicationis prohibuerit, ne ullus non examinatus accedat, tunc enim, si delictum sit publicum, dispensat solus Summus Pontifex. [s] Jam verò sistens se locò Examinandi, ac successivè Ordinandi, licèt sit reus peccati mortalis ex eo, quòd Ecclesiam decipiat in re gravi, attamen nulla reperitur pœna jure expressa, quam incurrat. (t)

XI. Ultimum tandem examen fit in ipsa Ordinatione, in qua Archidiaconus (cujus officium de jure communi est, præsentare Episcopo promovendos ad Sacros Ordines, [u) nomine totius Ecclesiæ dicit = Postulat S. Mater Ecclesia, ut hunc, vel hos Subdiaconos ad Ordinem Diaconatûs, ut hunc, vel hos Diaconos ad Ordinem Presbyteratûs promovere velis. = tunc Episcopus Ordinans interrogat Archidiaconum = Scisne illum vel illos esse dignos? qui respondet,

(s) *c. Veniens. De eo, qui furt. Ord. susc.* (t) *Barbos. in d. c. Veniens. nro 2. Pirrh. tit. De scrutin. in Ord. faciend. nro 8.* (u) *c. Ut nostrum. De Offic. Archid.*

det, ſcire ſe & teſtificari eos eſſe dignos, quantùm humana fragilitas noſſe, ſeu ſcire ſinit. = Quamvis autem Ordinandus revera ſit indignus, non peccat Archidiaconus, ſic reſpondendo, dummodò neſciat eum eſſe indignum, adeoq; non loquatur contra ſuam conſcientiam; nam: non ſimpliciter aſſerit illum eſſe dignum, ſed quantùm humana fragilitas noſſe ſinit; quandoquidem illum, quem indignum eſſe non novit, dignum æſtimare debet. Quare: Epiſcopus talî teſtimòniô securè uti, & ad ordinandum procedere poteſt, niſi fortè de indignitate Ordinandi ipſi aliunde conſtet. (w)

Caſus.

XII. Joſephus Archidiaconus eum, quem præſentare debet Epiſcopo, ob occultum crimen, quod in præcedenti publico examine non eſt manifeſtatum, ex privata ſcientia novit eſſe indignum ſuſcipiendorum Ordinum, & neq; privatim monendo, neq; deferendo ad Superiorem, v. g. Metropolitanum, quidquam ſe profecturum

præ-

(w) *c. un. De ſcrutin. in Ord. faciend.*

prævidet, eò: quod crimen probare nequeat, ideoq; fides nudis ipsius allegationibus non habebitur; hinc scrupulis angitur, qua ratione de dignitate illius per verba superiùs expressa coram Episcopo Ordinante testificari possit?

Resolutio.

XIII. Videtur quidem, quod Archidiaconus debeat propalare occultum Ordinandi delictum, quia aliàs ageret contra prohibitionem factam ab Innocentio XI. circa restrictionem mentalem, in propositione damnata 26. & 27.

XIV. Sed tollendo alii scrupulum Archidiaconi, consulunt, ut eo casu curet se absentare, & pro ea vice officium præsentandi alteri committere; quod si non possit declinare sine nota suspicionis & infamationis Ordinandi, præcipuè: cùm hic solus & unicus est ad ordinandum, tunc absq; mendacio poterit verba illa præscripta dicere, neq; contra suam conscientiam loquetur, quia illa verba dicet, ùt Persona Publica, & in Persona Ecclesiæ, quæ igno-

ignorat indignitatem Ordinandi. (*x*) Imò: & ipſe Ordinandus probabiliùs in conſcientia non tenetur manifeſtare ſuum occultum delictum, vel impedimentum Juris Eccleſiaſtici; v. g. ſi delirium capitis, aut morbum caducum certîs anni temporibûs patiatur; (*y*) nam: Jus Eccleſiaſticum hanc obligationem nullibi imponit; & ſaltem non ſátis probatur, dari tam gravem obligationem, se ipſum vel infamandi, vel ſaltem impediendi à tanto favore, quem quis conſequitur ex Ordinibus. (*z*)

XV. Non obſtat itaq; illa prohibitio facta ab Innocentio XI. circa reſtrictionem mentalem; quia licèt ſi Archidiaconus loquatur cum reſtrictione mentis, attamen ſub tempus Ordinationis non reſpondet Epiſcopo Ordinanti ex ſcientia privata, ſed ex publica; delictum autem Ordinandi cùm ſit occultum, ſine diffamatione illius publicari nequit. (*a*)

XVI.

(x) *Pirrh. loc. cit. nro 7. Hoſtien. ibid. §. ſed quid ſi. Innoc. verb. Nuntiavit. Abb. in fin.* (y) *Pichler tit. De ſcrutin. in Ord. faciend. nro* 4. *&* 5. (z) *arg. c. Criminoſus. h. t.* (a) *Cardenas in ſua Criſi Theologica. diſſert.* 19. *cap.* 4.

XVI. Ad finem hujus Opellæ, pro majori Ordinandorum commoditate, ut Clerici tam Sæculares, quàm Regulares eò paratiores ad publicum examen accedant, & nè quærant inutiles inscitiæ suæ excusationes, ponitur

Distributio

Universæ Theologiæ Moralis

Pro examinibus ad tres Sacros Ordines, pro sola quidem Cracoviensi Diæcesi A. D. 1766. per Examinatores pro tunc facta, sed omnibus Diæcesibus utiliter serviens.

Ad Subdiaconatum.

1. De Actibus Humanis & Conscientia.
2. De virtute Religionis cum suis actibus, Oratione, & Horis Canonicis, Voto, Juramento, & Præceptis quoq; Dies Dominicos & Festos colendi, ac Vitiis Religioni oppositis, nominatim: Simonia.
3. De Beneficiis Ecclesiasticis.
4. De Obligationibus Clericorum, Beneficiatorum, Curatorum, & de Statu ac Obligationibus Religiosorum.
5. De Sacramentis in genere.
6. De Censuris in genere, & in specie, & de Irregularitatibus.

Ad Diaconatum.

1. De Legibus.
2. De Virtutibus Theologicis Fide, Spe, & Charitare, cum Præceptis earumdem, etiam Eleemosynæ, Correctionis Fraternæ, & Vitiis unicuiq; Virtuti oppositis.
3. De Virtutibus Moralibus, cæteris scilicet præter Religionem, Justitiam & Pænitentiam, nominatim: de speciebus Temperantiæ, Abstinentiæ, Sobrietate & Castitate, ac Justitiæ annexa Veracitate, *&c.* unà cum Vitiis his Virtutibus oppositis, etiam quæ inter Capitalia numerantur, & Præceptis Dei aut Ecclesiæ, quæ his in materiis occurrunt, ùt sextum Decalogi, & tertium Ecclesiæ. *&c.*
4. Continuatio de Obligationibus præcipuorum Statuum & Officiorum, nominatim: Personarum Judicialium, vel Forensium, atq; etiam Dominorum & Servorum, Parentum & Filiorum, Opificum *&c.*
5. De Baptismo & Confirmatione.
6. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramen-

mento, cum Præcepto etiam Ecclesiastico Communionis.

Ad Presbyteratum.

1. De Peccatis, ubi etiam accuratè de eorum distinctione & gravitate, de peccato mortali & veniali, Commissionis, & Omissionis, Ignorantiæ, Infirmitatis, Malitiæ, & Habitûs, de Peccatis merè internis, *&c.*
2. De Jure & Justitia, Injuriis & Restitutione in genere & in particulari pro varietate Bonorum.
3. De Contractibus in genere & in specie.
4. De SS. Missæ Sacrificio.
5. De Pænitentia, cum iis etiam, quæ pertinent ad Confessarium, Casus reservatos, Absolutionem, Sigillum, *&c.* præterea quoq; de Indulgentiis & Extrema Unctione.
6. De Matrimonio, ejusq; impedimentis, & eorundem dispensatione.

Præterea: omnes universim de Ordine, ejusq; Officiis respectivè. Studium quoq; Dogmaticum & Canonicum omnibus, quibus facultas suppetet iis vacandi, magnoperè commendatur, sed & de aliis Exercita-

tionibus Ecclesiasticis, ùt de Rubricîs Breviarii, & Missalîs, atq; Ritualîs, ratione Cathechizandi, & Verbum Divinum prædicandi *&c.*

Hinc Illi

Qui est Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech. (*b*)
LAUS. HONOR. & GLORIA.

(b) *Hæbr.* 5.

PERMISSU

MAGNIFICI, PERILLUSTRIS, CLARISSIMI & ADMODUM REVERENDI DOMINI
D. M. ANTONII, NICOLAI
KRZANOWSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiæ Collegiatæ Sancti FLORIANI, Clepardiæ ad Cracoviam PRÆPOSITI, Contubernii Hierosolymitani PROVISORIS, Universitatis Cracoviensis SENIORIS PATRIS, Ejusdemq; Studii Generalis Amplissimi
RECTORIS.